16. Quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, ratiacula dissipant, machinamenta frustrantur. Serm. 76, sup. *Cant.*

17. Absque studio custodum, non potest esse secura civitas. *Ibid.*

S. BONAVENT. 18. Domus est machina corporis, hæc fragilis est, et ideo custode indiget. Super *Ecclesiasten*, cap. 12, in illud : *Quando commovebuntur custodes domus.*

19. Bona est securitas, ubi bona est custodia. Serm. 1, *Dom. in octava Paschæ.*

DIONYSINS CARTHUS. 20. Ubi major peccandi occasio, ibi diligentior adsit custodia. Super *Hymnos de tempore feriali ad Primam.*

21. Quandiu mens cum omni custodia custoditur, caro ei sensualitas a vitiis cohibentur; imo et actibus virtuosis rationi, voluntatique obsequuntur. *De profectu spirit.*

22. Custodia pacis, thesaurus vere pretiosissimus est. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 23. Opus est, ut quod tribuit gratia, custodiat diligentia ; et quod sine labore acquiritur, cum labore servetur. Hom. 1, *de Symbolo.*

GILLEBERTUS ANGLUS. 24. Nihil confert cultura diligens disciplinæ, si custodia desit. Ser. 35, super *Cant.*

25. Bona custodia est sepes, quæ culta ab incultis separat, et servat illæsa. *Ibid.*

S. GREG. MAG. 26. Quid prodest custodia, quæ pene ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per neglectum loci unius aperitur. Hom. 7, super *Ezech.*

27. Aliis servare non differas, quod ipse quoque tibi servari desideras. Lib. 1, in *regist.*, ind. 9, cap. 81, ep. 81 *ad Januarium archiep. Carallis Sardiniæ.*

28. Custodia auri vel argenti, monilium vel lapidum pretiosorum, vestium vel pecuniarum, nonne hæc sunt, quæ mergunt hominem in interitum ? In *septem Psalmos Pœnit*, sup. *Psalm.* VI, vers. 6.

29. Totum sese insidiantis hostis vulneribus detegit, qui nulla se munitione custodiæ circumcludit. Lib. 7, *Moral.*, cap. 17.

30. Laboriosum non erit, si custodiam nostram non nobis, sed gratiæ tribuimus. Libro 3, *dialogi*, cap. 20, verbo *Laboriosum.*

31. Teneat fortem custodiam animi, qui potenter vult dispergere motus carnis. Lib. 6, in I, *Reg.*, cap. 2.

S. HIERONYM. 32. Nemo me melius mea servare potest. Ep. 2, *ad Nepotian.*

33. Difficile custoditur quod plures amant. Libro 1, *adversus Jovian.*

34. Tu si teipsum bene custodire cupis, debes honorem tuum semper pretiumque cogitare. Ep. 1, *ad Demetr.*

35. Omnis sollicitudo tua, omnis intentio debet esse in custodia. *Ibid.*

36. Optime quæsita custodies, si semper inquiras. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 37. Multum diligenter vult custodiri is, qui vult custodiri ut pupillam oculi. Sup. *Psalm.* XXI, cap. 21.

HUGO CARD. 38. Res diligentius, quanto est sollicitius quæsita, servatur, cum ipsius utilitas cognoscitur. Sup. *Ep. 1 beati Joan.*, cap. 1.

JOAN CASS. 39. Negligentius custodiri solet quidquid creditur facile posse reparari. *Collat.* 4. *Abbat. Danielis*, cap. 4.

S. JOAN CLIM. 40. Cum procedis, congregata custodi. Gradu 27, *de Differentia quietis.*

PETR BLES. 41. Prius custodi teipsum, ut securius procures custodiam aliorum. Ep. 132, *ad quemdam abbat.*

42. Bonum castrum custodit, qui corpus suum custodit. *Ibid.*

43. Malo animam perdere ut custodiam, quam custodire ut perdam. *Ibid.*, super *Job*, cap. 2.

S. PETRUS CHRYSOLOG. 44. Quam secure dormit, qui Deum suorum meruit habere custodem. Ser. 7.

PHILO JUD. 45. Sicut perniciosum est civitati carere mœnibus, sic animæ destitui a custodiis. *De profugis.*

S. VALERIAN. 46. Non obtinet regnum promissum corporis delicata custodia. Hom. 17, *de Bono Mart.*

S. ZENO. 47. Attende tibi, et undique teipsum circumspice, pervigiles gere ad custodiam tui oculos animæ. Ser. *de Præcepto.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 48. Nunquam oportet domum esse sine custodia, sic nec civitatem. In *Œconom.* Habet. apud Bedam.

PLATO. 49. Civitatis custodes sunt Religiosi. Syzygia 4, libro 2, *de Republica.*

50. Ridiculum sane est, custodem custode indigere. Syzygia 4, libro 3, *de Republ.*

51. Suiipsius prius sit bonus custos, qui alios custodire cupit. *Ibid.*

SENECA. 52. Id debet servari diligentius quod nescias quando deficiat. *De Brevitate vitæ*, cap. 8.

53. Magno cum periculo custoditur, quod multis placet. In suis *Proverb.*

Vide etiam titulos, *Acquirere*, sentent 40, 45, 96; *Actio*, sent. 126, 164 ; *Adversitas*, sent. 123; *Amissio*, sent. 104; *Cordis custodia*, per totum.



## DAMNATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Tres sunt damnationes diaboli. Damnatus est primo quando de cœlesti beatitudine propter iniquitatem suam est dejectus. *Prosec.*

2. Secunda damnatio fuit, quando per mortem Christi genus humanum de ejus potestate est ereptum.

3. Tertia damnatio erit, quando in infernum cum omnibus impiis in æternum cruciandus demergetur. Super *Apocalyps.*, cap. 20.

4. Melius est unius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur. Ser. 18, sup. *Psalm.* CXVIII.

S. ANSELMUS. 5. Necesse est omnem hominem in peccato originali natum, illo non dimisso, damnari. In libro *de Conceptu virginali*, cap. 28.

S. ANTONIN. 6. Si quis senserit aliquod mortalium in se damnari, nisi pœnitentiam egerit, æterna illum flamma trucidabit. Parte 2, tit. 4, cap. 8, § 5.

S. ANTONIUS DE PADUA. 7. Non est evidentius signum æternæ damnationis, quam cum temporalia ad votum succedunt. Ser. 1 *post festum. Trinit.*

S AUGUSTIN. 8. Quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam qua ab originalis peccati obligatione solvatur etsi unius diei, vel unius horæ spatio anima illa vixerit in corpore, necesse est ea cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia, ubi diabolus cum Angelis suis in æternum arsurus est. *De fide ad Petrum*, cap. 2.

9. Omnis homo, qui in hoc sæculo usque ad finem in iniquitatum delectatione, et cordis obduratione permanserit : sicut hic cum noxia criminum delectatio tenuit, sic eum sine fine sempiterna cruciatio retinebit. *Ibid.*

10. Nolentes (si peccaverint) corrigi, nihil aliud delegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. *De Agone christiano*, cap. 31.

11. Bonus est Deus, justus est Deus ; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. Libro 3, *contra Julianum*, cap. 18.

12. Non vis ut Deus damnet te, tu te damna. Tract. 1, super *Epist. Joan.* de cap. 1.

13. Nemo damnatione dignus est, aut non contra vetitum justitiæ faciens, aut quod non potest non faciens. *De Duab. animabus*, cap. 11.

14. Diabolus ad solatium malevolentissimum damnationis suæ, cum quibus damnetur inquirit. *De Catech.* rud., cap. 25.

15. Si omnes remanarent in pœnis justæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis. Libro 21, *de Civitate Dei*, cap. 12.

16. Deus condemnat eos, quos damnatione judicat dignos. *De Continent.*, cap. 6.

17. Tanto quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. In *Enchir.*, cap. 93.

18. Nemo nascitur ex Adam, nisi vinculo delicti, et damnationis obstrictus. Epist. 157.

19. Non pati adversitatem carnis, sed duci a carne, damnatio est. In *Exposit. Ep. ad Galat.*, cap. 5.

20. Nisi gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas. *Annot. in Job.*, cap. 39.

21. A mea iniquitate, non ab aliena, sive in me, sive in aliis perpetrata, mihi est cavenda damnatio. *Contra Mend.*, cap. 9.

22. Qui damnationem fecerit, quod iniquum est; patietur damnationem, quod justum est. Lib. 21. *de Civ. Dei*, cap. 11.

23. Judex non condemnat, sed lex. In *Decret.* GLOSS. DECR. *Gratiani.*

24. Aliquando Deus hic ferire incipit, quod GLOSSA ORD. æterna domnatio consummat. Sup. *Job.*, cap. 35.

25. Justo judicio damnati sero pœnitentes agnoscunt quod antea credere noluerunt. Super *Sapient.*, cap. 15.

26. Nullum damnat Deus, antequam peccet ; nullum coronat, antequam vincat. Super *Ep. ad Rom.*, cap. 9.

27. Constat quod nullus damnatur, nisi æquissima justitia. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 9.

28. Quid horribilius dici, quid cogitari potest, S. GREGORIUS MAGNUS. quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire ? Hom. 6, super *Ezech.* super illud : *Et horribilis aspectus.*

29. Malorum condemnatio, laus bonorum est. S. HIERON. Epist. 2, *ad Nepotiam.*

30. Damnetur ille, qui damnat. Epist. 23, *ad Ctesiphontem.*

31. Lux beatis, flamma purgandis, carbo dam- HUGO CARD. natis. Super I, *ad Cor.*, cap. 15.

32. Deus invitus compellitur cum magno do- S. JOANNES CHRYSOST. lore peccatores damnare. *Prosec.*

33. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur ; sed quia quasi violenter cogitur damnare aliquem, qui omnes cupit salvare.

34. Nam quemadmodum in nobis contra naturam est bene facere ; sic et Deo contra naturam est male facere aut damnare. Hom. 46, sup. *Matth. Oper. imperf.*

35. Non tantum pro eo quod peccaverunt homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo quod bene non faciunt. *Ibid.*, homil. 54.

36. Si autem pro eo quod bene non faciunt, sic

condemnantur; puta quales pœnas exsolvent pro eo quod peccant. *Ibid.*

JOAN GERS. 38. Fatendum est, quod nemo sine culpa damnabitur; sicut absque gratia salvabitur nullus. Libro 1, *de Consolat. theologiæ*, prosa 3.

JOAN TRITH. 37. Quo damnatorum societas fuerit numerosior, eo infelicitatis sententia tristior. Ep. 14, *ad Nicol. Presbyt. Mernicens.*

S. ISID. HISP. 39. Unusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur; nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo; sed juxta qualitatem criminum, discretio erit pœnarum. Lib. 1, *de Sum. bono*, cap. 29, sent. 2.

40. Crescit sanctorum gloria, dum debita damnantur impii pœna. *Ibid.*, cap. 30, sent. 3.

LACT. FIRM. 41. Si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, censura divina damnaret; esset homo aut rarus, aut nullus in terra. *De Ira Dei*, cap. 20.

42. Quisquis præsentium bonorum specie captus, et in his consequendis ac fruendis occupatus, non prævideri ea, quæ post mortem secutura sunt, seque a Deo averterit, is ad inferos dejectus, in æternum damnabitur pœnam. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 4.

S. LAURENT JUSTIN. 43. Quo impuniti liberius peccant, eo vehementius damnatione plectentur æterna. *De ligno vitæ*, tract. 10, *de paupert.*, cap. 3.

44. Nullum tum evidens perpetuæ damnationis indicium est quam continuis transitoriæ prosperitatis pollere successibus. Lib. 2, *de Spirit. Resur.*, cap. 8.

S. PETR. DAM. 45. Quid horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire? Lib. 8, Ep. 8, *ad Bonum hom. legis perit.*

S. PROSPER. 46. Qui nolunt damnationis aliorum subire supplicium, caveant prolapsionis exemplum. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 19.

RICH. A S. VICTORE. 47. Infideles et criminosi baptisma cum fide suscipientes, sic absolvuntur debito damnationis, ut non teneantur debito expiationis. *Prosec.*

48. Fideles vero et criminosi post lapsum vere pœnitentes, sic absolvuntur debito damnationis, ut teneantur sub debito expiationis. Part. 1. *de Potest. ligandi et solvendi*, cap. 4.

SALVIANUS. 49. Facile est quidquid in præsenti seculo nocet, pati: illud grave, illud perniciosum, quod in æternitatis damnatione jugulabit. *Prosec.*

50. Illud itaque, illud inexpiabile malum est, illud æstimari omnino non potest, quod totum omnino hominem sine fine damnabit. Lib. 2, *ad Ecclesias. Catholic.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

51. Non damnatio, sed causa hominem turpem facit. Merito damnari, pœna est: damnatio immerita, damnantis est calamitas. *De Moribus.*

Vide etiam titulos, *Hospitalitas*, sent. 69: *Infernus*, sent. 85; *Supplicium*, sent. 22.

## DAMNUM.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio*. Damnum dicitur ex eo quod aliquis minus habet, quam debet habere. 2, 2, quæst. 62, art. 4.

HUGO CARD. *Divisio*. Quintuplex est damnum, scilicet, rerum, corporum, vitæ temporalis, famæ, parentum. Sup. *Prov.*, cap. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Res sine dispendio est, quæ tota dispendium est. Lib. 1 *Offic.*, cap. 30.

2. Homines damnum putant, quidquid præter morem impenditur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 21.

3. Meliora damna, quam lucra sunt sæculi. Lib. 5, Epist. 24, *ad Carcellum.*

S. ANTONIN. 4. Qui occasionem damni dat damnum quoque dedisse videtur. Part. 2, tit. 1, cap. 9.

S. AUGUSTIN. 5. Sciat culpabiliter se durum, qui deflet damna temporis, et dolorem peccati lacrymis non ostendit. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 9.

6. In rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum amittitur. *De Mendacio*, cap. 18.

7. Illud damnum minime dicitur, quod aliquis perdit, ne amplius perdat. *Ibid.*

8. Nemo dubitat cavendi majoris damni causa, patiendum esse damnum quod minus est. *Ibid.*

9. Nemo habet injustum lucrum sine justo damno; qui furatur verbi gratia, acquiret vestem, sed cœlesti judicio perdet fidem; ubi lucrum, ibi damnum; visibiliter lucrum, invisibiliter damnum. Serm. 2, in *Sabbat. post* 3, *Dom. Quadrag.*

10. Nemo habet injustum lucrum, sine justo damno; ubi lucrum, ibi damnum; lucrum in arca, damnum in conscientia. Serm. 3, *de Innocentibus.*

DIONYSIUS CARTHUS. 11. Felix quem faciunt aliena damna peritum. Epist. 1, *ad Cor.*, cap 10, art. 10.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 12. Quantis detrimento quis fuit, de tantis damna contraxit. Hom. 7, *ad Monachos.*

13. De rebus ad præsentia subsidia concessis, detrimenta vitæ æternæ nequitia mortalis operatur. *Ibid.*, hom. 4, *de Epiph.*

S. GREG. MAG. 14. Qui temporalium damnorum metu, veritatem vel justitiam prætermittunt, cœlestis iræ vindictam incurrunt. Lib. 7, *Moral.*, cap. 11.

15. Iniquorum mentes, qui damna sua considerare negligunt, integritatem, quasi nescientes, perdunt. *Ibid.*, lib. 5, cap. 29.



16. Qui semper ad lucra inhiat, semper damna formidat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12, sup. illud *Job* 11: *Requiesces et non erit*, etc.

17. Damna parva quandoque causa magni lucri fiunt. Lib. 3, *Dialogi*, cap. 14, verbo *Magna.*

18. Valde durum est, ut unde quisque nullum sensit commodum, sustineat injuste dispendium. Liq. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 135, epist. 35, *ad Secundinum Episcop. Zauronæ.*

19. In terrenis rebus semper causa damni est origo peccati. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, cap. 57, ep. 57, *ad Brunichildam regin. Franc.*

20. Unde irascatur jam non habet, qui damnum temporale non timet. Lib. 5, in 1 *Reg.* cap. 4.

21. Qui se errasse a Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Hom. 34, sup. *Ezech.*

S. HIERONYM. 22. Ubicunque compendium est, velocior pes, citus sermo, auris attentior; si damnum (ut sæpe accidere solet) fuerit nuntiatum, vultus mœrore deprimitur. Epist. 18, *ad Marcellam.*

HUGO A S. VICTORE. 23. Heu! quam multi lugent damna corporalia, qui lugere contemnunt damna spiritualia! *De Allegor. in Matth.*, lib. 2, cap. 1, in illud: *Beati qui lugent*, etc.

24. Tribus modis damnum infertur homini: a dæmone, a proximo, a carne. Dæmon insidiatur charitati, proximus possessioni, caro pudicitiæ. Lib. 4, *Miscellan.*

HUGO CARD. 25. Qui commodum temporale acquirit, divitias virtutum perdit, et majus damnum patitur, et fraudem majorem in se, quam faciat aliis. Sup. *Prov.*, cap. 12.

INNOC. III. 26. Qui occasionem damni dat, et damnum dedisse videtur. Serm. 1, *Dom.* 1, *Advent.*

JOAN. CASS. 27. Qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur. *Collat.* 18 *Abbat. Piammonis*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 28. Quemadmodum damnum est medico, si subtrahantur infirmi; sic damnum est Christo, non habere quos salvet. Serm. 32, sup. *Matth. Oper. imperf.*

LACT. FIRM. 29. Stultus est, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum. In *Epitome*, cap. *Nam.*

30. Injustum est augeri patrimonia locupletum, per damna miserorum. *Ibid.*, cap. *Superest.*

S. LEO I. 31. Cupiditas injusti lucri, non injusti causa est damni. Serm. 6, *de Jejunio decimi mensis.*

32. Qui per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri. *Ibid.*

PETR. CELL. 33. Acerbius est damnum quod naturam lædit, quam quod seipsam interimit. Lib. 2, ep. 1, *ad Petr. Abbat. Cluniac.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 34. Contra officium est majus damnum anteponi minori. Lib. 1, *de Offic.*

MIMUS PUBL. 35. Avarus damno potius, quam sapiens dolet. In suis *Sent.*, sent. 25.

PLATO. 36. Illud quod evitari non potest, summum est damnum. Syzygia 2, *de Scientia.*

SENECA. 37. Scies non damnum in his perituris molestum esse, sed opinionem damni. Ep. 42.

38. Subita est ex homine pernicies, et eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Ep. 103.

39. Quantum damnis ingemiscunt, quæ et magna incidunt, et maxima videntur. Ep. 115.

40. Quod damnum putas, remedium est. *De Remediis fortuitor.*

Vide etiam titul. *Fraus*, sent. 11; *Lucrum*, sent. 45, 58, 59; *Sacerdos*, sent. 4.

## DEBITUM.

COLLECTOR. *Definitio*. Debitum est illud quod alicui debetur.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo pauper est, qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit; etsi non quæ vendat, habet quæ solvat. *Prosec.*

2. Oratio, lacrymæ, jejunia debitoris boni census est, multoque uberior, quam si quis ex pretiis fundorum pecuniam sine fide deferat.

3. Non enim pecuniam cui debes Deus, sed fidem quærit, affectumque exigit, qui in tua potestate est. Lib. 2, *de Pœnit.*, cap. 8.

4. Paupertas non habet debitum, nullum crimen; nulla indigentiæ infamia est; sed debere verecundum est, non reddere verecundius. *De Tobia*, cap. 21.

S. ANSELMUS. 5. Si homo dicitur injustus qui homini non reddit quod debet, multo magis injustus est, qui Deo quod debet, non reddit. Lib. 1, *Cur Deus*, cap 24.

6. Qui non solvit Deo quod debet, non poterit esse beatus. *Ibid.*

7. Certe Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo meipsum totum; quia me redemisti, debeo meipsum totum; quia tantum promittis, debeo meipsum totum; imo tantum debeo amori tuo plusquam meipsum, quantum tu es major me, pro quo dedisti teipsum, et cui promittis teipsum. In *Meditationibus Redempt. humanæ*, cap. 6.

S. ANTONIN. 8. Inanis est actio, quam excludit inopia debitoris. Part. 2, tit. 1, cap. 3, § 5.

S. AUGUST. 9. Sicut qui non vigilat, dormit; sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet. Lib. 3, *de libero arbit.*, cap. 15.

10. Deo seipsum debet homo, eique reddendus

est, ut beatus sit, a quo accepit ut sit. Ep. *ad Armentarium*.

11. Ex eo quod non accepit, nullus reus est : ex eo vero quod non facit, juste reus est. Lib. 3, *de Libero arbitr.*, cap. 16.

12. Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat, et si quisquam dicat ab illo aliquid deberi meritis suis, certe ut esset, non ei debebatur. *Ibid.*

13. Ad compellendum non potest esse molestus exactor, quando ad reddendum devotus est debitor. *De quinque Hæres.*, cap. 1.

14. Nulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis : si alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur. Lib. 2, *contra duas ep. Pelagian.*, cap. 7.

15. Nisi debitor suspendatur, minus agit gratias, cui debitum relaxatur. Sup. *Psalm.* LVIII, vers. 11.

16. Dives est qui nec hæreditario, nec proprio unquam debito obnoxius est. Tract. 84, sup. *Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 17. Qui debet, pauper est et curarum plenus, somno noctu, somno interdiu privatus, omni tempore cogitabundus. Sup. *Psalm.* XIV, vers. 5.

V. BEDA. 18. Bis gratum tribuit, qui quod debet cito reddit. In suis *Proverb.* verbo *Bis*.

S. BERNARD. 19. Sanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri imitationem sanctis, compassionem mortuis debemus. Serm. *De Triplici genere bonorum.*

S. BONAVENT. 20. Homo est debitor Deo, sibi, et proximo. Expos. 1, sup. *Psalm* CXVIII, in illud : *Bonitatem et disciplinam*, etc.

21. Per meritum de non debito fit debitum, et ipsum debitum fit magis debitum. Lib. 5. *Compend Theolog. verit.*, cap. 11.

HUGO A S. VICTORE. 22. Quicunque rogatus a debitore, debitum cujuslibet injuriæ dimittere contemnit, in vanum sibi a Domino dimitti debitum peccati sui petit. *De Orat. Dom.*, cap. 2.

23. Justum est ut in reddendo debito, non debeat esse anxius, qui in exigendo noluerit esse avarus. *Ibid.*, cap. 18.

24. Plus debet, qui plus accipit. *De Alleg.* sup. *Luc*, lib. 4. cap. 8.

25. Non est misericordia, ubi tantum redditur, quantum debetur. In *Annotat. sup. Ep. ad Rom.* in illud : *Qui enim mortui sumus peccato*, etc.

26. Quatuor sunt debitores : Deus spirtus, caro, mundus. Deus debet spiritui, ut eum cognitione veritatis illuminet, et amore virtutis inflammet. Spiritus debet Deo in omnibus, quæ agenda sunt, ab ipso erudiri, et secundum ipsum operari. Caro debet spiritui in bono agendo ministerium, et in commodo appetendo modum. Caro debet mundo ex ejus abundantia, quod necessitatis est sumere, quod virtutis est exercere. Mundus debet carni in necessitate subsidium, in exercitatione incitamentum. Lib. 1 *Miscellan.*

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Talis est spiritalis debiti natura, quod quanto magis solvitur, tanto magis augetur, et substantiam magis multiplicat, et ineffabiles divitias affert tam danti, quam accipienti. Hom. 22, sup. *Gen.*

28. Bonus fœnerator fert ingratitudinem, et mittit ad debitores, ut memores faciat eos debitorum. Ser. *de Adam et pœnitent.*

29. Tale est peccatorum debitum ut, si soliti sint ad solvendum, leve sit ; si negligentes, erit gravissimum. *Ibid.*

30. Debitum reddite, et debitum exigite. Hom. sup. *Psalm.* XXII.

31. Quantoscunque habes debitores, cunctos liberos abire permittens, a Deo istius magnanimitatis reposce remunerationem. *Prosec.*

32. Quandiu tui permanserint homines debitores, non habebis Dominum debitorem ; si vero illos dimiseris, tunc tenere poteris Deum debitorem, atque ab eo debitum cum cumulo maximæ liberalitatis exigere. Hom 15, sup. *Matth. Oper. perf.*

33. Cum quis debitum justitiæ suæ reddiderit, Deo nihil præstat, sed sibi lucrum salutis acquirit. Hom 3 *Oper. imperf. sup. Matth.*

34. Nisi dixeris debiti magnitudinem, non cognosces donationis eminentiam. Conc. 4, *de Lazaro*.

PETR. BLES. 35. Inanis est contra eum actio creditorum, quem evacuat inopia debitorum. Ep. 120, *ad Decan. Turonens.*

S. PETRUS CHRYSOLOG. 36. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. Serm. 94.

37. Inverecundi debitoris est, aut differre credita, aut promissa denegare ; honesti vero est, sine mora et mox utraque dissolvere. *Ibid.*, serm. 123.

SALVIANUS. 38. Quid iniquius esse, aut quid indignius potest, quam ut soli sitis immunes a debito, cunctos faciatis per exactionem debitores ? Lib. 5, *de Gubernat. Dei.*

39. Majora hominum sunt debita, quorum sunt plura peccata. Lib. 2, *Eccles. Catholic.*

40. Quid solvere homo poterit, cui se per ultimam pœnarum acerbitatem Christus impendit ? Aut quid pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum Deo, a quo redemptus est, Deum debet ? *Ibid.*

41. Ante usum ac munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam beneficiorum fœnore non gravatus ; coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores. *Ibid.*, lib. 4.

42. Deo majora debemus, quod ab eo cuncta percepimus. *Ibid.*

43. Nihil magnum in terris ab homine Deo solvitur, ubi quod est in cœlo maximum comparatur. *Ibid.*

S. SIDONIUS EPISC. 44. Perfecta dilectio non tam debet recolere quid officiorum solvat, quam meminisse quid debeat. Lib. 5, ep. 3, *ad Apollinar.*

ZENO EPISCOPUS ET MART. 45. Quid esse potest ditius homine, cujus profitetur Deus se esse debitorem ! Serm. 2, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 46. Nemo libenter debet quod non accepit, sed expressit. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 1.

47. Grave tormentum est, debere cui nolis. Lib. 2, *de Benefic.*, cap. 18.

48. Nemo libenter reddit, quod invitus debet. *Ibid.*, lib. 6, cap. 41.

49. Tam cum vitio est recipere quod non debes, quam non dare quod debes. *Ibid.*, cap. 42.

50. Quod debes, quære cui reddas. *Ibid.*, lib. 7, cap. 22.

Vide etiam titul. *Dilectio in genere*, sent. 46 ; *Honor*, sent. 34 ; *Prælatio*, sent. 165 ; *Restitutio*, sent. 14.



## DECEPTIO.

COLLECTOR. *Definitio.* Deceptio est corruptio scientiæ.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUSTIN. 1. Fallacia tegmina, et deceptoriæ dealbationes auferantur a rebus, ut sincero inspiciantur examine. Lib. 3, *De Civit. Dei.*, cap. 14.

2. Quid astutius ad decipiendum, atque callidius malitia dæmonum ? *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

3. Malignitas dæmonum, nisi alicubi se transfiguret in Angelos lucis, non implet negotium deceptionis. *Ibid.*, cap. 26.

4. Vita hæc qualibet redundans felicitate, multos fallit et decipit. Sup. *Psalm.* LXXIV.

5. Sæculi hujus quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas. *De verb. Dom.*, ser. 42.

S. BASILIUS MAGNUS. 6. Nihil est facilius, quam seipsum fallere. In *Constitution.*, cap. 22.

S. BERNARD. 7. Minus semper malitia palam nocuit, nec umquam bonus nisi boni simulatione deceptus est. Serm. 66, sup. *Cant.*

8. Diabolus quando decipere quemquam tentat, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde se applicat, unde aptum hominem ad peccandum aspicit. *De Inter. domo*, cap. 47.

S. BONAVENT. 9. Diabolus non decipit, nisi perversos. Sup. *Luc.*, cap. 22, in illud : *Satanas expetivit vos*, etc.

10. Diabolus decipit homines quatuor modis : primo, persuadendo bonum propter malum ; secundo, suadendo malum sub specie boni ; tertio, dissuadendo bonum tanquam nocivum ; quarto, dissuadendo malum ut ducat ad pejus. Libr. 2, *Compend. theolog.*

S. CYPRIAN. 11. Non tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Ep. 68, *ad Clerum et plebem Hispaniæ*.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 12. Diabolus obsessa semel pectora, mollissimis seductionibus decipit. Hom. 3, *de Epiph.*

GLOSS. DECR. 13. Deceptus semel, cautius sibi cavet. In *Decret. Gratiani.*

GLOSSA ORD. 14. Non decipiamur ab aliis ; non enim multum distat inter decipere quemlibet, et ab alio decipi posse. Sup. *Machab.*, cap. 16.

S. HIERONYM. 15. Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum. Ep. 13, *ad Paulin.*

16. Est sane grande, et subtile artificium, decipiendo animum sibi obligare decepti. Ep. 14, *ad Celantiam.*

17. Multi sub justitiæ ponderatione, atque eloquentiæ vanitate decipiunt innocentes. Super *Psalm.* LXI, vers. 9.

HUGO CARD. 18. Diabolus plures decipit blanditiis, quam terroribus. Sup. *Psalm.* LX.

19. Fallitur proximus adulatione, simulatione, deceptione. Sup. *Ecclesiastic.*, cap. 1.

20. Prudens est, qui cavet ne fallatur. Super *Luc*, cap. 1.

JOANN. CASS. 21. Diabolus decipit, cum fuerit colore sanctitatis obtectus. *Collat.* 1. *Abbat. Moysis*, cap. 20.

S. JOANNES CHRYSOST. 22. Nihil est, nihil est, inquam, quod ita pariat inimicitias, sicut seductio et deceptio. Ser. 14, sup. *Ep. ad Ephes.*

23. Decipiens suavia prius proponit, et mox infert tristia. Hom. 16, *ad Popul. Antioch.*

JOAN. TRITH. 24. Parum distat in vitio vel decipere posse, vel decipi. Lib. 1, hom. 4, *ad Monachos.*

S. ISID. HISP. 25. Multi decipiuntur a diabolo, et ignorant se esse deceptos. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 5, sent. 10.

26. Cum in tota vita diabolus hominem prævaricari cupiat, amplius tamen in fine molitur decipere. *Ibid.*, sent. 15.

27. Diabolus quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde se applicat, unde aptum hominem ad peccandum inspexerit. *Ibid.*, sent. 23.

28. Fraudulentiæ genus in modum pharetræ, subtiliter insidiarum sagittas diabolus celat ; ut falsam faciat securitatem, decipiatque callide eum contra quem molitur occulte. *Ibid.*, cap. 26.

29. Latent sæpe venena circumlita melle verborum, et tandiu deceptor bonitatem simulat, quousque fallendo decipiat. *Ibid.*, sent. 4.

30. Sæpe qui non potuit aperte decipere, decipit fraudulenter. *Ibid.*, cap. 29, sent. 20.

S. LAURENT. JUSTIN. 31. Nullus est locus, nulla actio, nullaque persona, quæ a dæmonum deceptionibus libera existat, quoniam nequeunt excludi parietibus, nec placari precibus, neque terroribus coerceri. *De Contempt. mundi*, cap. 18.

32. Sicut decipiendis primis hominibus diabolus ministerium sibi serpentis assumpsit : ita hæreticorum linguas, ad decipiendos rectorum animos, veneno suæ falsitatis armavit. Ser. 5, *de Jejun. decimi mensis.*

PETR. CELL. 33. Sub pallio consultationis, se effert sæpe venenum deceptionis. Lib. 7, Epist. 9, *ad Prior. Wigornens.*

PHILO JUD. 34. Ipsi deceptores decipiuntur, dum se putant alios decipere. *De Migrat. Abrahami.*

S. PROSPER. 35. Non mihi aliquid prodest, quod non circumvenio aliquem, neque decipio, si decipienti circumvenire permitto. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 23.

IN VIT. PATR. 36. Hoc maligni spiritus atudium est ut, quando quempiam deceperit, eum redigat ad insipientiam, ut non possit deinceps surgere. Lib. 8, cap. 44.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II. 37. Nunquam deceptus est princeps, nisi prius ipse decepit. In *Panegyrico de Trajano August.*

38. Quæ decipiunt, nihil habent solidi. Ep. 79.

SENECA. 39. Multi fallere docuerunt, dum timent falli. Lib. 7, *de Benef.*, cap 3.

40. Res nos fallunt, pro bonis mala amplectimur. Ep. 46.

41. Prudens fallere non vult, falli non potest. *De Quatuor virt.*

42. Boni est viri, etiam in morte neminem fallere. *Ibid.*

43. Repelli se homines facilius, quam decipi ferunt. In suis *Proverb.*, in fine positis.

SIXTUS PHIL. 44. Possibile est verbo fallere homines, non autem Deum. Sent. 176.

## DECIMA.

S. ANTONIN. *Definitio.* Decima propria et vera, est decima pars bonorum omnium juste acquisitorum, Deo debita. Part. 2, tit. 4, cap. 3, § 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Qui sibi præmium comparare, aut indulgentiam peccatorum desiderat promereri, reddat decimam, et de novem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus. Part. 2, tit. 4, cap. 3, § 3.

S. AUGUSTIN. 2. Decimatio talis res erat, quæ in unoque homine sæpe fuerat facienda : sicut Israelitæ, annis omnibus, imo ex fructibus omnibus, decimas tota vita sua crebras solent præbere levitis. Lib. 2 *de Peccator. meritis et remiss.*, cap. 25.

3. Exime aliquam partem reddituum tuorum ; decimas vis, decimas exime, quanquam parum sit. Sup. *Psalm.* CXLVI, vers. 9.

4. Unusquisque de quali ingenio, vel artificio vivit, de ipso decimam Deo in pauperibus, vel in Ecclesiis donet. *De Rectitudine catholicæ conversat.*

5. Nolite de cuncta substantia vestra fraudare decimam, ne vobis novum partes auferantur, et sola decima remaneat. *Ibid.*

6. Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, et Cæsari censum reddebant ; modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. *Prosec.*

7. Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur; hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Hom. 48. *Ex quinquaginta Hom.*

8. Decimas annis singulis de omni fructu quem colligitis, Ecclesiis et pauperibus erogate. Serm., 7 *de Trinit.*

9. Ille vere Christianus est, qui decimas annis singulis erogandas pauperibus reddit. Serm. 2 *post Dom. Trinit.*

10. Deus qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatur repetere; non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Serm. 1. *Dom.* 12, *post Trinit.*

11. Decimæ, fratres charissimi, tributa sunt egentium animarum; redde tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus. *Ibid.*

12. Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, de militia, de negotio, de artificio redde decimas. *Ibid.*

13. Si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animæ consequeris. *Ibid.*

14. Cum decimas dando et terrena et cœlestia possis munera promereri, quare per avaritiam duplici benedictione te fraudas ? *Ibid.*

15. Primitias rerum et decimas dignatur Deus petere, et negas, avare ; quid faceres si, novem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset ? *Prosec.*

16. Hæc est Domini justissima consuetudo ut, si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris ; dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. *Ibid.*

17. Decimæ ex debito requiruntur, et qui eas dare noluerit, res alienas invasit. *Ibid.*

18. Qui sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam. *Ibid.*



19. Si aliquis est laborator qui terram colat, de fructibus suis decima Ecclesiam non defraudet. *Pros.*

20. Si negotiator et in hoc laborat, Deo decimam reddere noluerit, ad nihilum ipse una cum pecunia sua redigetur. Serm. 64, *ad Fratr. in eremo.*

21. De rebus vilibus quid emas attende : Ecce mons es, accipe pluviam, et da fœnum. Quid enim daturus es? nonne fœnum ? etenim ista omnia, quæ Ecclesiæ ad necessitates servientium Deo dantur a divitibus, quid sunt nisi fœnum ? Sup. *Psalm.* CLVI, vers. 9 : *Qui producit in montibus fœnum.*

BONAVENT. 22. Peccatum est, et inhibitum, non solvere decimas, quæ per temporales dominos debite et æqualiter ordinantur. Lib. *de Medit. vitæ Christi*, cap. 60.

S. CÆSARIUS ARELAT. 23. Non solum decimæ non sunt nostræ, sed Ecclesiæ deputatæ Hom. 9.

24. Non video qua fronte illi non offerimus decimam, a quo recepimus totum. *Ibid.*, hom. 21.

CONCILIUM GUNTIN. 25. Decimas Deo et sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, et Jacob promissis insinuant, et omnes sancti doctores commemorant. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 15, quæst. 7, can. *Decimas.*

GLOSS. DECR. 26. Hæc est Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris ; id est, tantum decima remanebit tibi, vel dæmonibus sociaberis, qui sunt decima pars Angelorum. In *Decret. Gratiani.*

GRATIANUS. 27. Quam sit grave apud Deum decimas, ac primitias sacerdotibus non solvere, multorum auctoritate apparet. In *Decret.*, part. 2, caus. 16, can. *Prædicator.*, § ultimo.

28. Fideliter decimas dat, qui omnium suorum decimas solvit. *Ibid.*, caus. 16, quæst. 7, can. *Quicunque.*

S. GREG. MAG. 29. Decimæ per annos singulos exiguntur, et qui decimas offerre non desinunt, servi esse Regis cœlestis perhibentur. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 2, sup. illud : *Greges quoque vestros addecimabit.*

S. HIERON. 30. Quia non reddidistis decimas et primitias, idcirco in penuria et fame maledicti estis. Sup. *Malach.*, cap. 3, sup. illud : *In decimis et primitiis*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 31. Homo decimam dare Deo, nonam sibi retinere præcipitur ; ut quod bonum est in se, a Deo esse ; quod vero malum est, a se confiteatur. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 11, cap. 6.

32. Decimas quoquo modo usurpare aut retinere sine sacrilegii culpa non possunt, nisi soli, ad quorum sustentationem divina institutione ordinatæ sunt. Lib. 2, *de Sacram.*, part. 9, cap. 10.

S. INNOC. III. 33. Graviter peccat, qui decimas et primitias non reddunt sacerdotibus; sed eas pro sua voluntate distribuunt indigentibus. Serm. 3, *Dedicat.*

34. Decima omnium fructuum prædii debetur ei, qui decimas ibi præscripsit. Lib. 3, *Decret. Const.*, const. 84.

JOAN CASS. 35. Qui substantiarum nostrarum, omniumque fructuum decimas offerre præcipimur; multo magis necesse est, ut ipsius quoque conversationis nostræ, et humani usus operumque nostrorum decimas offeramus. *Coliat.* 21, *Abbat. Theonæ*, cap. 25.

S. JOANNES CHRYSOST. 36. Pharisæi olim decimam primo rerum suarum omnium, deinde alteram, et demum tertiam decimam offerebant ; si qui mediam tantum dabant, nihil magni operabantur. Quid tu facies, qui nec decimam quidem partem pauperibus unquam dare cogitasti ? Hom. 65, sup. *Matth. Oper. perf.*

37. Si non vultis mediam fructuum partem, aut tertiam, aut quartam, aut quod minimum est, saltem decimam Christo præbeatis. *Ibid.*, hom. 67.

38. Deus mandavit decimas offerre, propter utilitatem sacerdotum ; ut sacerdotes populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrent. Hom. 44, sup. *Matth. Oper. imperf.*

S. LAURENT. JUSTIN. 39. Domino jubente mandatur in lege, quatenus sacerdotibus templique ministris (quorum Deus portio est) decimæ frugum, ac cæterarum rerum, quæ ad usus hominum sunt, tribuantur ut a temporalium curis absoluti, sacris altaris, seu verbi Dei, vel animarum, regiminis fructuosius ministerio occupentur. Serm. *de Eucharist.* cap. 34.

ORIGEN. 40. Deo offerri dicitur, quod sacerdotibus datur. Hom. 11, in *Numeros.*

PASCHAL PAPA 41. Decimas a populo sacerdotibus ac levitis esse reddendas, divinæ legis sanxit auctoritas. Et hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 16, quæst. 1, can. *Decimas.*

S. PETR. DAM. 42. Illud sollicite præcave et diligenter attende, ne cum decimas dividis, de consacerdotum tuorum præsumas aliquid minuere. Lib. 4, ep. 1, *ad Albert. episc.*

S. THEODORET. 43. Omnia quæ spectant ad vitam debet sacerdos contemnere, et in ministerio divino assidue versari, propterea nullam ei dedit hæreditatem, nec per legem concessit, ut ei possessionem habere liceret ; sed cavit ut ab omni populo primitiæ atque decimæ ei præstarentur. *Quæst.* 44, sup. *Deuter.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

EPICTETUS. 44. Offerendæ primitiæ sunt unicuique ritu patrio, caste, non luxuriose, nec indulgenter, nec sordide, nec supra facultates. In suo *Enchirid.*, cap. 38.

Vide etiam titul. *Clericus*, sent. 103; *Sacramentum*, in divisione.

## DEFENSIO.

COLLECTOR. *Definitio*. Defensio est instantis imminentisve offensionis propulsatio.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Ne defendas improbum. Lib. 2, *Offic.*, cap. 24.

2. Erubescere debemus et condemnare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 7.

3. Sunt nonnulli ita irrevocabiles, et quamvis sciant pravam esse assertionem suam, nullo modo ab ea revocari possint, sed eam mendaciis, perjuriis defendere conantur. Sup. *Apocal.*, cap. 16.

S. ANTONIN. 4. Defendere culpam aliorum, gravis superbia est. Part. 2, tit. 3, cap. 3, § 11.

S. ANTONIUS ABBAS. 5. Principatum nobis largitus est Deus, ut per eum possimus illos, qui violentiam patiuntur defendere; sed nos contra, non defensionem miseris, sed violentiam magis inferimus. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. AUGUSTIN. 6. In multis solent latebras suæ malæ defensionis inquirere, qui contentionis sunt cupidiores, quam veritatis. Ep. 174, *ad Pascentium.*

7. Non est adhibenda fallax defensio, sed vera confessio. *De continentia*, cap. 5.

8. Quæris te defendere, et forte nemo accipit defensionem tuam; jam tu perturbaris quasi perdideris causam tuam, quia nullius habes defensionem; custodi intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Sup. *Psalm.* XXXVII, vers. 16.

V. BEDA. 9. Nemo periculosius peccat, quam qui peccata defendit. In suis *Proverb.*, verbo *Nemo.*

S. BERNARD. 10. Multo periculosior est fallax ac superba confessio, quam procax et obstinata defensio. *De duodecim grad. humilit.*, grad. 9.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 11. Magnis viribus defendendum est nomen magnæ professionis. Hom. 8, *ad Monachos.*

12. Ubi aliquid male fit, et quasi ex auctoritate defenditur, tunc non debet dormire severitas; quando vero non defenditur, tunc dissimulari potest propter scandalum. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. DECR. 13. Melior est causa, quæ non defenditur, et probatur: Susanna tacuit, et vicit. Sup. *Luc.*, cap. 23.

S. GREG MAG. 14. Sæpe malorum pertinacia, constancia dicitur: et dum mens a pravitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. Lib. 32 *Moral.*, cap. 17.

15. Sunt nonnulli, qui nequaquam deflent, quod faciunt; sed etiam laudare et defendere non desistunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 19.

16. Mens perversa, quæ fecit, defendere non audeat; ne defendendo nequitiæ nequitiam adjungat. *Ibid.*, cap. 13.

17. Peccatores quique, in quo sibi male sunt conscii, in eo et alium peccantem defendunt. *Ibid.*, lib. 33, cap. 4.

18. Nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur. *Ibid.*

19. Summa criminum dum defenditur, augetur. *Ibid.*

20. Quælibet mala, quæ minores iniqui faciunt, ea nequissimi majores tuentur. *Ibid.*

21. Quos similis reatus sociat, concordi pertinacia etiam defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis altera se invicem defensione tueantur. *Ibid.*, cap. 24.

22. Peccatum peccato adjicit, qui male gesta defendit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 19.

23. Culpa cum defenditur, geminatur. *Ibid.*

24. Hominis proprium esse conspicitur, quod ex parentis veteris imitatione se defendit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 9.

25. Ille vere humilis est in bonis, qui non est defensor in malis. *Ibid.*, lib. 26, cap. 1.

26. Innocentia non tempore defenditur, sed ratione. *Ibid.*, cap. 2, sup. illud; *Job*, 34. *Tu enim cœpisti loqui.*

27. Scelera peccantium tanto majora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium, diu inulta tolerantur. *Prosec.*

28. Tanto se apertiores Dei hostes exhibent, quanto majores sunt patroni vitiorum. *Ibid.*, lib. 33, cap. 4.

29. Contra Deum suis defensionibus pugnat, qui ea quæ displicent, defendendo multiplicat. *Ibid.*

30. Reprobi scuto defensionis corripientium se verba repellunt, et concordi pertinacia alterna se ad invicem defensione tuentur. *Ibid.*, cap. 24, in titulo.

31. Turpe est hoc defendere, quod non constiterit justum esse. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 51, ep. 51, *ad Leontium exconsulem.*

HUGO CARD. 32. Defendere peccatum, est peccatum peccato sociare. Sup. *Job*, cap. 3.

33. Sunt defensiones peccatorum quatuor, excusatio, verecundia, diminutio, comparatio. Sup. *Psalm.* XLVI.

LACT. FIRM. 34. Nunquam potest esse scelus tam clarum, ut defensioni non sit locus. Lib. 6, *de Div. Insti.*, cap. 18.

S. LEO I. 35. Non licet defendi, quod non licet credi. Ep. 42, *ad Synod. Chalced.*

S. NILUS ABB. MART. 36. Ne potrocineris malis; ipsos enim ad mala provocas, tu vero contaminaris peccati communione. *Parænes.* 101.

SALVIANUS. 37. Multi (quod grave ac peracerbum est) tueri pauperes videntur, ut spolient; defendunt miseros, ut miseriores faciant defendendo. Libro 5, *de Gubern. Dei.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 38. Homines in judiciis ad crimen defendendum, non quid fecerit quispiam proferre solent, sed quid probarint. Orat. 8, in *Verrem*, libro 3, act. 4.

SIXTUS PHIL. 39. Qui tuetur pupillos, erit multorum filiorum, secundum Deum pater. Sent. 330.

Vide etiam tit., *Causa*, sent. 9; *Correptio*, sent. 52; *Indicii corrupt.*, sent. 26; *Peccatorum defensio*, per totum; *Personarum acceptio*, sent. 50; *Puritas*, sentent. 17; *Taciturnitas*, sentent. 17; *Veritas*, sent. 108.

## DEFICERE.



CASSIODORUS. *Definitio*. Deficere est paulatim minus facere. Super *Psalm.* XXX, vers. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUSTIN. 1. Omne quod deficit, ab eo quod est esse deficit, et tendit in non esse; esse autem, et in nullo deficere bonum est, et malum est deficere. *De* LXXXIII. *Quæst.*, quæst. 21.

2. Melius erat non incipere, quam cœpisse et defecisse. Super *Psalm.* CXXIII, exposit. vers. 3.

3. Omnia temporalia nisi deficiant, non possunt præteritis futura succedere. Libro 3, *de Lib. arb.*, cap. 15.

4. Homo merito deficit ab illo, qui eum fecit, cum sibi præficit ipse quod fecit. Libro 8, *de Civ. Dei*, cap. 23.

5. Colligitur non ob aliud res deficere, vel posse deficere, nisi quod ex nihilo factæ sunt. Epist. 56.

6. Si per te deficis, ille te reficiat, qui te fecit. Tract. 1, super *Joan.*

7. Cresce in Deo, reficieris si accesseris, deficies si recesseris. *Ibid.*, tract. 11.

S. BERNARD. 8. Incipis deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris. Ser. 1, *ad Fratres.*

9. Salubriter a se deficit, quem perficit Deus. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 10.

S. BONAVENT. 10. Quadrupliciter deficit quis: a Deo, sub Deo, in Deo, in Deum. A Deo, quando per peccatum aliquis recedit; sub Deo, qui a peccato desistit; in Deo, qui in cognitione Dei deficit; in Deum, qui in Deum per contemplationem intendit. Sup. *Psalm.* LXX.

11. Quanto res magis elongatur a suo principio, tanto magis mutatur et deficit. Super *Joan.*, cap. 8, in illud: *Principium qui et loquor vobis.*

CASSIODORUS. 12. Non est fas ibi desinere, unde semper potest anima fessa recreari. Super *Psalm.* XXXII.

S. CYRILLUS ALEXANDR. 13. Qui a Deo deficiunt, fit continuo ut rebus carnalibus irretiantur, et immunditiem pro deliciis habeant. Lib. 3, *Glaphyr.* in *Exodum*, cap. 4, *de Vitulo saginato.*

DIONYSIUS CARTHUS. 14. Noli deficere, nec pusillanimis esse, paulatim longius itur; viriliter incipe, quotidie profice. In *Exhort. ad Novitios*, art. 2.

15. Ibi quisque incidit deficiendi periculum, ubi proficiendi postposuit appetitum. *De Mortificat. vivifica*, art. 7.

16. A se in teque, Domine, et ad te deficere, proficere est. *De Perfect. charit.*, art. 17.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 17. Nunquam tibi deficiet, quidquid alter de te proficiet; nunquam enim sentit luminis sui damnum plurimis ignis accensus; nec minuit solis lucem considerantium multitudo. Homil. 7, *ad Monachos.*

GLOSSA ORD. 18. Inde semper deficit, qui unde se proficere in spatium vitæ credit. Super *Job*, cap. 14.

GLOSS. INT. 19. In terrenis caro quiescit, sed spiritus deficit. *Ibid.*, cap. 11.

S. GREG. MAG. 20. Natura nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, ut quotidie labendo deficiat, et deficiendo veterascat; sed qui in nobismetipsis deficimus (cum in nos Spiritus sanctus insilit) renovamur; quia statim quod non eramus, efficimur. Libro 4, in I *Regum*, cap. 5.

S. HIERONYM. 21. Vinco maxima, vincendus a parvis, excelsa et ardua indefessus exupero; et cum venitur ad plana, deficio. Epist. 1, *ad Demetriad.*

22. Sicut qui sanctus est, quotidie proficit; ita qui peccator est, quotidie deficit. Super *Psalm.* LXXXIII, vers. 6.

HUGO CARD. 23. Multi sunt strenui in prosperitate, qui tamen deficiunt in adversitate. Sup. *Psalm.* LVIII, *Moral.*

JOAN TRITH. 24. Ibi deficiendi periculum incidimus, ubi appetitum proficiendi revocamus. Libro 2, *ad Monach.*, serm. 6.

25. Ibi incidit deficiendi periculum, ubi quisquis amisit proficiendi appetitum. Parte 1, *de Regione claustral.*, tract. 2, region. Præfationis.

S. ISID. HISP. 26. Suo augmento perit, dum id quod videtur in futuro proficere, in præterito deficit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 61, sent 2.

PETRUS BLES. 27. Apud Christum nunquam alicui deficit, quod per eum alii proficit. Epist. 139, *ad Quemdam abbatem*.

S. THOMAS AQUINAS. 28. Quanto aliquis deficit in eo quod difficilius vincitur, tanto minus vituperatur. Secunda secundæ, quæst 142, art. 3, argum. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTELES. 29. Is, qui deficit, pusillanimus est. Lib. 4, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

SENECA. 30. Nihil deficit, quod in se redit. Libro 3, *Quæst.*, cap. 10.

Vide etiam titulos, *Profectus*, sentent. 49, 50, 63, 84; *Propositam*, sent. 68; *Virtus*, sent. 9.

## DEFINITIO.

S. ATHANAS. MAGN. *Etymologia*. Dicuntur definitiones, tanquam sint inspectiones rerum, et oculi, quæ vim rationis, et quæ mente conceoimus, breviter explicent. *De definit.*

Ob id dicta est definitio, quod definit, et abbreviat multitudinem vocum, et prolixitatem orationis decurtat. *Ibid.*

S. ATHANAS. MAGNUS. *Definitio*. Definitio est oratio brevis rei subjectæ naturam explicans. *De definit.*

CLEM. ALEX. Definitio est ejus explicatio, quod animo cogitatur. Libro 8, *Stromat.*

CICERO. Definitio est oratio, quæ rei alicujus proprias amplectitur qualitates breviter et absolute. Libro 4, *de Arte Rhetor.*

Definitio est oratio, quæ quid sit id de quo agitur, ostendit quam brevissime. *De Perfecto oratore.*

PLATO. Definitio est sermo ex genere et differentia compositus. Syzygia 6, *de Definit.*

S. ATHANAS. MAGNUS. *Divisio*. Definitionum tria sunt genera, ut pote: quid sit res, de qua quæritur; secundum, quid dicatur, et quot modis intelligatur definitio. *De definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ATHANAS. PATRIARCH. 1. Definiri nequit, quod secundum essentiam suam sub significationem non cadit, ut Deus. Lib. *Viæ ducis*, cap. 2.

S. ATHANAS. MAGN. 2. Qui absque definitionum cognitione docere conatur, idem ei, quod cæco viatori huc illuc oberranti, usuveniet. *De definit.*

3. Difficile definitu est, quod increatum et infinitum est; vel quod non totum, sed aliqua tantum parte cognoscitur. *Prosec.*

4. Facile definitu est, quod contrectari, et penitus perspici potest. *Ibid.*

S. AUGUSTIN. 5. Definitio nihil minus, nihil amplius continet, quam id quod susceptum est explicandum; aliter omnino vitiosa est. *De quantit. animæ*, cap. 25.

6. Comprehensibilibus rebus et definitio est, et exemplum. Libro 3, *contra Academ.*, cap. 9.

7. Res definitione illustratur. Lib. *Princip. dialect.*, cap. 1.

CASSIODORUS. 8. Definitionis hæc est virtus ut, negando quod non est, hoc quod intendit declarare videatur; et iterum dicendo quod est, id quod proponit evidenter possit ostendi. Super *Psalm.* v, vers. 7.

CLEMENS ALEX. 9. Cujuscunque rei habet aliquis scientiam, ejus etiam dabit definitionem. Lib. 8, *Stromat.*

10. Ex ignorantia definitionis accidit, ut multæ dubitationes oriantur, et deceptiones. *Ibid.*

GLOSS. INT. 11. Nihil temere definiamus; quæ nobis dubia sunt, Deo definenda reservemus. Sup. *Tobiam*, cap. 3.

S. GREG MAG. 12. Sancta Ecclesia utilius studet nescire quæ perscrutari non valet, quam audacter definire quæ nescit. Libro 14, *Moral.*, cap. 12.

RICH. A S. VICTORE. 13. Definitio, ut perfecta sit, oportet ut totum, et solum definiendæ rei esse comprehendat. Parte 1, lib. 4, *de Trinit.*, cap. 21.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 14. Præsente Deo, etiam quod inextricabile est, explicari facile potest. Epist. 158, *ad Herculian.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 15. Facilius est definire singularia, quam universalia. Libro 2 *Poster.* cap. 15.

16. Omnis definitio universalis est semper; medicus enim salubre non cuidam oculo, sed aut omni, aut specie determinato definit. *Ibid.*, cap 14

17. Ut in demonstrationibus ratiocinandi forma, sic in definitionibus diluciditas insit oportet. *Ibid.*, cap. 15.

18. Oportet per genus et differentias definire eum, qui bene definit. Libro 6 *Topic.*, cap. 3.

19. Cum singula cognoscamus per definitionem, principia definitionum genera sint necesse est, definitorum etiam principia genera esse: Lib. 3 *Metaph.*, cap. 3.

CICERO. 20. Omnis quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci. Lib. 1, *de Offic.*

21. Ad definitionem pertinet ratio et scientia definiendi. 82 *Topicor.*

## DEFUNCTORUM SUFFRAGIA.

Vide Suffragia Defunctorum.

## DELECTATIO.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio*. Omnis delectatio est quoddam proprium accidens, quod consequitur beatitudinem, vel aliquam beatitudinis partem. 1, 2, q. 2, a. 6.



S. ANSELMUS. *Productio*. Quidquid est peccatorum in 'dictis, in factis, in cogitationibus, non oritur nisi ex illicita delectatione. Sup. *Ep. ad Rom.*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Delectatio sicut serpentino illapsu humanis irrepit affectibus. Libro 6, ep. 42, *ad Sabinum*.

2. Corporales delectationes et illecebras hujus sæculi non vincit, nisi mens quæ fuerit spiritualis, adhærens Deo, et se totam a terrenis separans. Libro 2, *de Abraham.*, cap. 7.

3. Animus victus illecebris, totum hominem carneum facit. Sup. I. *Cor.* 5.

S. ANSELMUS 4. Nisi quis repulerit delectationem, delectatio in consensum transit, et animam occidit. *De similitud.*, cap. 40.

S. ANTONINUS. 5. Placet delectatio, et pungit delictum; flos Veneris rosa est, quia sub ejus purpura multi latitant aculei. Parte 3, tit. 1, *de Matrimonio*, cap. 25.

6. Delectatio tanto est vehementior, quanto consequitur operationem magis connaturalem. Parte 4, tit. 4. *de Temperant.*, cap. 1.

7. Per delectationem carnalem, efficiuntur homines intemperati, et incontinentes, mortem sibi accelerant, infirmitates incurrunt, famam perdunt, bestiales denique fiunt. Part. 4, tit. 10, cap. 7, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 8. Sicut clavus clavum ejicit, sic timor gehennæ delectationem luxuriæ. Serm. *Dom.* 2, *Quadrag.*

S. AUGUSTIN. 9. Quod saluti satis est, delectationi parum est. Libro 10, *Confess.*, cap. 31.

10. Vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum. *De Vera relig.*, cap. 11.

11. Delectatio est quasi pondus animæ, et delectando ordinat animam. *Pros.*

12. Ubi enim thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum; ubi delectatio, ibi thesaurus; ubi autem cor, ibi beatitudo aut miseria. Libro 6, *Musicæ*, cap. 11.

13. Grandis res est, ut qui in præsenti non habet quem timeat, vincat quod delectat, cum delectatio tantum possit, ut non solum futura, sed et præsentia minime vereatur. *De quæst. Vet. et Novi Testam.*, quæst. 124.

14. Non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. *Serm. Dom. in monte.*, lib. 1.

15. Delectatio ante consensionem, vel nulla est, vel tam tenuis ut prope nulla cit, cui consentire magnum peccatum est, cum illicita est. *Ibid.*

16. Delectatio perniciosa sequitur cupiditatem, fructuosa charitatem. Super *Psalm.* IX, super illud: *In laqueo isto quem absconderunt mihi.*

S. AUGUSTIN. ET S. AMBROSIUS. 17. Ad exquirenda delectationum genera astuti sunt, qui appetentes sunt voluptatem. Lib. *contra Julian.*, cap. 5, Ambros. *de Paradiso*, cap. 12.

S. AUGUSTIN. 18. Inest peccatum, cum delectaris; regnat, si consenseris. Super *Psalm.* L.

19. Carnalis delectatio præsertim usque ad illicita progrediens, frænanda est, non relaxanda; imperio domanda, non in imperio collocanda. *Ibid.*

20. Præteriit quod delectabat, permansit quod pungat. Tract. 41, super *Evang. Joan.* de cap. 8.

21. Si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? *De diligendo Deo.* cap. 18.

22. O quam parva concubitus hora, qua perditur vita æterna! quod ergo emolumentum affert corpari, quodve tribuit lucrum quod tam cito ducit animam ad tartarum? *De Conflictu vitior. et virt.*, cap. 24.

23. O quanta iniquitas, o quanta perversitas, ut animam, quam Christus suo sacro sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis, diabolo pessimo inimico suo vendat ac tradat. *Prosec.*

24. Vere nimium miseranda et plangenda conditio est, ubi cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat.

25. Sub momento libidinis impetus transit, et permanet sine termino animæ infelicis opprobrium. *De Honest. mulier.*, cap. 3.

26. Felix anima quæ delectationibus delectatur ubi turpitudine nulla inquinatur et veritatis serenitate purgatur. *De Verbis Apostoli*, serm. 4.

27. Quem delectat lex Dei, et sic delectat ut omnes delectationes lasciviæ vincat, non sibi arroget istam delectationem. *Ibid.*

28. Mortua est, dum calcas, una delectatio, sed vivit altera; et illi dum non consentis, mortificas, cum cœperit omnino non delectari, mortificasti; hæc est militia nostra. *Ibid.*, serm. 13.

29. Illecebræ circumquaque blandiuntur; delectat te pecuniæ magnitudo, delectat honoris fulgor, delectat potentiæ terror. Hom. 13, *Ex quinquaginta Homil.*

30. Quam gravi et perpetua pœna punienda erit brevitas delectationis! *Prosec.*

31. Delectatio occidit et præteriit, vulneravit et transivit, miserum fecit et abiit, infelicem reddidit et reliquit. Serm. 3 *de Nativ.*

32. Homo in omnibus delectatur, pecus vero tantum in duobus delectatur, scilicet in gustu et

tactu, in aliis vero movetur quandoque et excitatur, sed non delectatur. Serm. 54, *ad Fratr. in eremo.*

S. BERNARDINUS SENENS.

33. Homo nunquam potest delectari in bono, diligendo malum; nec unquam delectari in malo, nisi dimittat bonum. Ser. 1, *de Regno Dei*, parte 2.

S. BERNARD.

34. Præoccupatum secularibus desideriis animum, delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; ut pariter sapias quæ sursum sunt, et quæ super terram. Serm. 6, *de Ascens.*

35. Viscus quidam pravi desiderii et delectationis terrenæ volare non patitur mentem, et citius retrahit, si forte aliquando sublevetur. Serm. 2, *de Vigil. Nativit.*

36. Intus est quod delectat, quia intus est quem delectat. Ep. 113, *ad Sophiam virg.*

37. Omne quodcunque delectare possit extra Deum, molestum est. Epist. 114, *Ad quemdam sanctimonialem.*

38. Inveniunt curiosi quo delectentur, et non inveniunt miseri quo sustententur. In *Apolog. ad Guillelm.* abbat., cap. *O vanitas.*

39. Quid erit in patria, si tanta est copia delectationis in via? In *Declamat.*

40. Si in carne delectaris, cruciaberis in carne. *Libro Medit.*, cap 3.

41. Quotquot fuerint oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira: nam inde punimur, unde delectamur. *Ibid.*

42. Mors secus introitum delectationis posita est. *De duodecim gradib. humilit.* ex *regula S. Benedecti.*

43. Delectatio carnis per laborem vincitur. Ser. 51, *ad Sororem.*

S. BONAVENT.

44. Ubi intellectualis perfectio, ibi spiritualis delectatio est. *Expos.* 2, sup. *Psalm.* CXVIII, cap. 9, vers 2, art. 3.

45. Delectatio præsens non est vera delectatio, sed deceptio. Super *Ecclesiasten*, cap. 2.

46. Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Super *Sap.*, cap. 8.

47. Ubi homo credit invenire delectamentum, invenit cruciamentum; quia omnis delectatio in præsenti aspersa est amaritudine. Serm. 1, *Dom. infra oct. Epiph.*

48. Exigua dat diabolus in delectatione, multa dat in punitione. Ser. 7, in *die Pent.*

49. Nonne hodie gulosi plus de deliciis, avari plus de divitiis, lascivi plus de vanis, superbi plus de honoribus quam de Deo delectantur? Ser. 8, *de SS. Apostol.*

50. Felix est illa anima, quæ delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, sed veritatis securitate purgatur. *Prosec.*

51. Felix anima, quam ita delectat lex Dei, ut omnes delectationes lasciviæ vincat. In collat. *de contemptu sæculi.*

52. O anima, erubesce consolari in cœno, quæ es de cœlo; erubesce delectari in imis, quæ non potes nisi in summo satiari. In *Soliloq.*, cap. 2.

53. Si mente delectatio teneatur, et voluntate cum adversione periculi, et in delectationem hujusmodi consentit, etiamsi in opus extrinsecum non interveniat consensus, nihilominus est mortale peccatum. In *Speculo animæ*, cap. 3.

CASSIODORUS.

54. Delectatio nescit habere fastidium, ubi sic mens consolata reficitur, ut nullatenus tamen ejus desideria deponantur. Super *Psalm.* XCXIX.

DIONYSIUS CARTHUS.

55. Carnis delectationes mentem hominis vehementissime cæcant, hominemque bestiis reddunt consimilem. *De profess. monast.*, art. 10.

S. EUSEBIUS EMISSEN.

56. Ubi sunt delectationes tuæ, quibus huc usque impatienter arsisti, et arsura jugiter congregasti? Ecce transierunt omnia tanquam umbra, abierunt oblectamenta, et sola in perpetuum opprobria remanserunt. Homil. 2, *ad Monachos.*

57. Quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri judicii diem abscondit oblivio. *Ibid.*, homil. 5.

58. Captivos post se trahit sensus pestifera et inimica dulcedo. *Pros.*

59. Per oblectationem malorum, de negligentia proficit culpa, et de luxuria crescit illecebra, et pereuntem perditio plus delectat. Homil. 3, *de Epiphan.*

60. Modo delectat peccare, sed postmodum non delectabit ardere. *Ibid.*

61. Remanet quod damnat, præterit quod delectat. *Ibid.*, hom. 3, *de Pascha.*

S. FRANCISCUS ASSISIAS.

62. Gustanti Deum, omnis delectatio mundi, videtur amaritudo. In suis *opusc.*, oraculo 30.

S. FRANCISCUS TITELM.

63. Sit tibi studium in Domino Deo tuo delectari, ipse sit tuum gaudium, ipse tuæ deliciæ; ut nunquam in nulla re, nisi in eo, et secundum eum delecteris, ipseque sit omnis tui gaudii oblectationisque principium et regula. In *Elucid.* sup. *Psalm.* XXXVI, vers. 4. *Delectare in Domino.*

S. FULGENT.

64. Quanto magis perficitur quod injuste delectat, tanto magis recepturus est injustus quo amplius doleat. Libro 2, *de Remiss. peccator.*, cap. 13.

GILLEBERTUS ANGLUS.

65. Delectationis nimietas seipsam exhaurit. Ser. 20, super *Cant.*

S. GREGORIUS MAGNUS.

66. Nequaquam homo ad pravam delectationem rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Libro 4, *Moral.*, cap. 15.

67. Sicut minoris culpæ est, cum carnaliter mens in delectationem rapitur, sed tamen delectationi suæ per spiritum reluctatur; ita gravioris et plenæ nequitiæ est ad peccati illecebram, non solum delectatione pertrahi; sed etiam consensu famulari. *Ibid.*, cap. 17.



68. Tanto amatores vitæ mortalis illi arctius inhærent, quanto eos largius delectatio transitoriæ voluptatis infundit. *Ibid.*, libro 33.

69. In quantum ad delectationem præsentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 27.

70. Cum mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque ad perfidiæ voraginem ruit. *Ibid.*, libro 10, cap. 9.

71. Si quid adhuc culpa delectationis inquinat, pœna mœroris tergat. *Ibid.*, libro 9, cap. 35.

72. Perversæ mentis dulcedo, vermis est; quia inde delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitatur. *Ibid.*, libro 16, cap. 29.

73. Esse sine delectatione anima nunquam potest; nam aut infimis delectatur, aut summis, et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima; quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 8.

74. Delectatio a veritatis intuitu, mentis oculos claudit et vanitatem aperit. Libro 5, in I *Regum*, cap. 4.

75. In momento transit carnis delectatio, et brevis quidem hora transgressionis, non tamen brevis pœna flagitii. *Ibid.*, cap. 3.

76. Carnalis delectatio mentem, quam inficit, obscurat, ut claritatem non videat; sed unde inferius delectatur, inde caliginem supernam patiatur. Libro 4, *Dialogi*, cap. 36.

S. HIERONYM.

77. Libenter fugio quod delectat; et nolo vitare quod cruciat. Ep. 1, *ad Demetriad.*

78. Placet delectatio, sed pungit; rosa est, sed sub ejus purpura multi latent aculei. Ep. 51, *ad Rufin. ne ducat uxorem.*

79. Tota vita hominis iniqui est delectatio peccatorum, dulcedo illecebrarum et suavitas, quæ amara illi et mortifera posmodum erit. Super *Job*, cap. 20, super illud: *Panis ejus*, etc.

80. Caro præsentibus delectatur, et brevibus; spiritus perpetuis, et futuris. Libro 3. sup. *Ep. ad Galat.*, cap. 6, in illud: *Caro concupiscit adversus spiritum.*

HUGO A S. VICTORE.

81. Ipsa carnis delectatio quantacunque fuerit, nec præterita juvare potest, nec præsens permanere. Hom. 1, sup. *Ecclesiasten*, in illud: *Vanitas vanitatum*, etc.

82. Aliquando etiamsi noceat, prodesse, creditur quod delectat. Super *Regul. sancti Aug.*, cap. 9.

83. Ubi est delectatio tua, ibi est et cogitatio tua; ubi vero est cogitatio tua, ibi est interioris hominis habitatio. Libro 4, *de Arca Noe Morali*, cap. 8.

84. Tanto anima longius a Deo, qui intus est, secedit, quanto avidius se ad delectationes exteriores effudit. Libro 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 77.

HUGO CARD.

85. Pessima negotiatio est, ubi pro modica delectatione transitoria datur tota gloria paradisi, et emitur tota pœna inferni. Super *Gen.*, cap. 42.

86. Fulget quod dalectat, latet quod cruciat. Super *Psalm.* IX.

87. Delectatio ut coluber a facie blanditur, sed cauda pungit. *Ibid.*

88. Delectationes, carnales non vocandæ sunt delectationes, sed potius illusiones propter duas causas: primo quia statim post vellet homo non peccasse; secundo quia per momentaneam delectationem æterno incendio obligatur peccator. Sup. *Psalm.* XXXVII.

89. Ratio debet poni inter delectationes carnales et spirituales, ut spirituales supra sint, quasi dominantes; et carnales infra, quasi conculcatæ et viles. Sup. *Psalm.* CI.

90. Vitia prætendunt delectationem, sed in fine pungunt per pœnæ æternæ obligationem. Sup. *Psalm.* CXVII.

91. Delectatio brevis est, quia nec per momentum satiat. Super *Proverb.*, cap. 6.

92. Delectatio, ubi bona est et spiritualis, valde bona est; ubi mala est et carnalis, pessima. Super *Isaiam*, cap. 36.

93. Difficillimum est contra delectationes bellare, eo quod innatæ et contemporaneæ sunt nobis; destruas consensum malum, ut malum filium, qui nascitur ex delectatione. Sup. *Hierem.* cap. 1.

94. Gratiam Domini et gloriam dat anima pro minima delectatione. *Ibid.*, cap. 28.

95. Delectatio solet esse in concipiendo, dolor est in pariendo. Super *Ep. ad Rom.*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOSTOM.

96. Nemo potest eorum, qui delectantur præsentibus et caducis cœlestia ac spiritualia contueri. Libro 2 *compunct. cordis.*

97. Quod oblectare creditur, temporale est; quod autem cruciat, æternum est. Ep. 6, *ad Teodor.*, *lapsum.*

S. ISID. HISP.

98. Qui delactionem refrænat libidinosæ suggestionis, non transit ad consensum libidinis. *Prosec.*

99. Cito enim resistit operi, qui titillanti consensum non accommodat delectationi.

100. Durius impugnatur, qui usque ad consensionem delectationis, et si non usque ad perpetrationem, tentatur, quam is qui sola suggestione pro conditione carnis tentamentis sollicitatur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 39, sent. 9.

101. Si plus oblectat mentem delectatio carnis, quam delectatio castitatis, adhuc in homine peccatum regnat : si vero amplius delectat pulchritudo castitatis, jam non regnat peccatum, sed regnat justitia. *Ibid.*, sent. 17.

LACT. FIRM. 102. Ne oblectamenta terræ pro magnis, aut veris bonis habere te credas, quæ sunt non tantum fallacia, quia dubia, verum etiam insidiosa, quia dulcia. *De Opific. Dei*, cap. 1.

S. LEO I. 103. Noxia cordi delectatio est, quæ aut turpi lucro pascitur, aut superbia extollitur, aut adulatione lætatur. Ser. 9, *de Jejun. septimi mensis.*

PETRUS BLES. 104. Cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. Ep. 15, *ad episc. Carnotens.*

105. Nulla delectatio ibi est, nisi ubi se dulcedo amoris infundat. *De Amicit.*, cap. 11.

PETR. CELL. 106. Superflua delectatio non usquequaque est omni homini odiosa, sed multum appetita, multumque a multis amplexata. *Prosec.*

107. Sed quousque? modica est, transitoria est; etiam cum esse videtur, non est.

108. Seipsam consumit, seipsam destruit, in se crudeliter sævit. Libro 2, *ad Petr. Abbat. Cluniac.*

109. Delectatio est radix peccati, totius honestatis tinea, fovea vitiorum, puteus dæmonum, vorago animarum. *Ibid.*

S. PETR. DAM. 110. Si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodum delectari non poterit in Conditore. Libro 5, ep. 3.

PET. LOMBARDUS MAGISTER SENTENT. 111. Si diu in delectatione cogitationis teneatur peccatum, etsi voluntas perficiendi desit, mortale est. Lib. 2, dist. 18.

S. PROSPER. 112. Oblectationes vitiorum omnium, puris delectationibus vincas. Libro 3, *de Vita contempl.*, cap. 17.

S REMIGIUS. 113. Quandocunque delectatio trahit nos ad libidinem, vel ad aliquod vitium, debemus considerare; quia non sumus nostri, neque nostræ potestatis, sed Christi servi sumus. *Prosec.*

114. Pulsatur corpus delectatione; vult anima consentire! debet rationabilitas animæ ad se redire ac dicere : Quid cogitas? quid æstuaris? quo vis ire? non es tuæ potestatis, sed Christi servus es. Super I, *ad Cor.*, cap. 6.

RICH A S. VICTORE. 115. Omne oblectamentum in fastidium vertitur, et omnis delectatio carnis in amaritudinem terminatur. Parte 1, tract. 1, *de Statu inter. hom.*, cap. 10.

116. Veri animæ hostes sunt delectationes. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 33.

117. Quantum exteriores delectationes quis contempserit, tantum in Deo delectari poterit. Parte 2, super *Cant.*, cap. 40.

S. THOMAS AQUINAS. 118. Qui immoratur delectationibus carnalibus, negligit spiritalia. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit 6.

THOMAS A KEMPIS. 119. Nulla delectatio major et suavior, quam in Deo et virtutibus veris ad Dei honorem factis exultare. Serm. 27, *ad Novit. divis.*

120. Transit cito, tanquam fumus, omnis delectatio carnalis; sed non cito transibit pœna infernalis, quia æternalis. *Ibid.*, ser. 30, divis. 2.

121. Dura est pugna, delectationi resistere; sed durior erit pœna in æternis ignibus cruciari. In *Hortulo Rosar.*, cap. 4, sect. 3.

122. Extra Deum omnis delectatio prava, omnis lætitia vana est. *Ibid.*, cap. 8.

123. Vincit, proh dolor! delectatio prava mentem mundo deditam, esse sub sentibus delicias reputat. *Prosec.*

124. Qui autem mundum perfecte contemnunt, isti divinam dulcedinem veris abrenuntiationibus promissam non ignorant; et quam graviter in sua delectatione mundus errat et varie fallitur, clarius vident. Libro 3, *de Imit. Christi*, cap. 20.

125. Delectatur devotus in precibus, studiosus in libris, virtuosus in virtutibus, humilis in despectibus, largus in eleemosynis, sobrius in abstinentia, sapiens in sapientia, superbus in honoribus, dives in prædiis, avarus in pecuniis, gulosus in cibis, et potibus, otiosus in fabulis. In *Hortulo Rosarum*, cap. 12, sect. 6.

126. Non est dignus a Deo consolari, qui in transitoriis bonis delectatur. *De Discipl. claustral.*, cap. 12.

S. VINCENT. FERRAR. 127. Talis est conditio humana, quod in hoc mundo non possumus vivere sine delectationibus; ille ergo qui non sentit delectationes spirituales, dat se ad delectationes carnales, bestiales, et brutales. Serm. 6, *Dom.* 3, *Advent.*

128. O miseri pro modica delectatione bestiarum, quæ statim transit, non dubitatis amittere gloriam, et incurrere pœnam æternam. Serm. 4, *Dom.* 2, *post Pasch.*

IN VIT. PATR. 129. Abominatio est ante Deum, omnis carnalis delectatio. In *Sentent. in fine positis*, sentent. 69.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTELES. 130. Nulla res eadem ex eo nos semper delectat, quia non est simplex nostra natura, sed inest et aliquid aliud, quo corruptibiles sumus. Lib. 7, *Etich. ad Nicomach.*, cap. 14.



CICERO. 131. Nihil me præter conscientiam delectabit. Lib. 15, ep. 11.

132. Quid tam absurdum est, quam delectari multis rebus inanibus; animo autem virtute prædito non delectari? *De Amicit.*

Vide etiam titulos, *Compunctio*, sent. 13; *Diabolus*, sent. 126 : *Divitiæ*, sent. 46; *Locus*, sent. 20; *Meretricium*, sent. 35; *Resurrectio a peccato*, sent. 65; *Visio Dei*, sent. 57.

## DELICIÆ.

HUGO A S VICTORE. *Definitio.* Delicatio est cibi, aut potus lauti, deliciosi, et cari ultra statum et necessitatem appetitio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 9.

Deliciæ sunt corporalis illecebrositatis cum quadam superfluitate usurpatio. *Ibid.*, cap. 10.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Corpus quod illecebras diligit, aversatur animæ virtutes, abominatur imperium, refugit virtutum disciplinas. Libro 1, epist. 4, *ad Irenæum.*

S. ANTONINUS. 2. Delicias flagella repellunt. Parte 4, tit. 3, cap. 7, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 3. Cum miser homo affluit divitiis, se dilatat in deliciis. Ser. *Dom. infra octav. Nativit.*

4. Dives purpuratus, quia hic sepultus fuit in deliciis, posmodum sepultus est in pœnis inferni. Serm. Dom. 6 *post Pascha.*

5. Luxurioso deliciis carere maxima pœna est. Ser. *Dom.* 2 *post Trin.*

6. Divitiæ dissolvunt, deliciæ enervant. Serm. *Dominicæ infra octav. Nativit.*

S. AUGUSTIN. 7. Si deliciæ sæculi hujus breves et sordidæ sic amantur, quanto vehementius futuri sæculi gaudia pura et infinita quærenda sunt? Ep. 138, *ad Clerum.*

8. Verius atque jucundius est gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. *De Catechiz. rudibus*, cap. 16.

9. Omnes deliciæ hominis conversi in hac vita nondum sunt in re; sed ipsa spes tam certa est, ut omnibus hujus sæculi deliciis præponenda sit. Super *Psalmum* LXXIV, in principio Præfationis.

10. Quis cum sano sensu pro unius dici deliciis, centum annorum pœnam eligeret? *De Triplici habitac.*, cap. 3.

11. Difficile est ut, in deliciis viventes, mundum cor habeant. Ser. 2 *Dom.* 24 *post Trin.*

V. BEDA. 12. Deliciæ et epularum varietas fomenta sunt luxuriæ. In suis *Proverbiis*, verbo *Deliciæ.*

S. BERNARD. 13. Mens assueta deliciis, non exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. Epist. 152, *ad Innocentium papam.*

S. BONAVENT. 14. In deliciis appetitus placet, experientia displicet. Super *Sap.*, cap. 8.

15. Miseriæ deliciis et deliciæ miseriis commutantur. Ser. 1 *Dom.* 1 *post Epiph.*

16. Quomodo deliciæ baatum faciunt, quæ sumptæ fastidium pariunt? Ser. 7, *de Sanctis Apostolis.*

17. Labor deliciarum inutilis probatur, quia corpus nutritum deliciis vermibus esca paratur. In *collat. de Contemptu sæculi.*

18. Magnum donum Dei est delicias hujus mundi abdicasse. *Ibid.*

CLEMENS ALEX. 19. Deliciæ errantes in voluptatibus grave sunt ac periculosum hominibus naufragium. Libro 3 *Pædag.*, cap. 7.

20. Quid sunt aliud deliciæ, quam libidinosa liguritio, et supervacanea redundantia eorum, qui sunt dissoluti ad suavem sensum delectationis? Libro 2 *Stromat.*

S. FRANCISCUS ASSISIAS. 21. Quid restat quando anima caret spiritualibus deliciis, nisi ut caro convertatur ad suas? In suis *opuscul.* collat. 10.

FRANCISCUS TITELMAN. 22. Omnes hujus mundi deliciæ, quibus peccatores fruuntur, fæces quasdam habent gustus pessimi et intolerabilis, quæ modo quidem ab illis non gustantur quam sint amaræ : sed justus judex has illis reservabit in tempore ultionis. In *Annot. super Psalm.* XX, vers. penult.

S. GREGOR. MAGN. 23. Deliciæ corporales, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. *Prosec.*

24. Deliciæ spirituales, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio; tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. Homil. 36, super *Evang.*

S GREG. THAUM. 25. Quisquis se deliciis inquinaverit, ne quamlibet quidem longo labore verum bonum unquam reperiet. Super *Eccles.*, cap. 8.

S. HIERON. 26. Quantum a deliciis quis seculi vacat, tanto majores habet delicias spiritus. Ep, 17, *ad Marcellam.*

27. Affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis. Epist. 27, *ad Eustoch.*

28. Dei Filius sustinuit ignominiam Crucis, et tu putas beatos, qui istius seculi deliciis perfruntur? Epist. 33, *ad Castrutium.*

29. Difficile, imo impossibile est, ut et præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut de deliciis transeat ad delicias. Ep. 34, *ad Julianum.*

30. Versari in deliciis, et deliciarum vitiis non teneri difficile, est imo impossibile. Lib. 2, *advers. Jovian.*

31. Deliciæ et epularum varietates, fomenta avaritiæ sunt. *Ibid.*,

32. Tolle epularum et libidinis luxuriam, nemo quæret delicias; quarum usus aut in ventre, aut sub ventre est. *Ibid.*

33. Diversa post mortem tenent loca, miseriæ et deliciæ; miseriæ deliciis, deliciæ miseriis commutantur. Ep. 2, *ad Pammach.*

34. In consummatione mundi, præteritarum deliciarum recordatio, erit materia cruciatuum. Libro 8, super *Isaiam*, cap. 24, super illud : *Luxit vindemia*, etc.

35. Quidquid modum naturæ excedit, deliciis deputatur. Super I, *ad Tim.*, cap. 5, in illud : *Quæ in deliciis est vivens.*

HUGO A S. VICTORE.

36. Deliciæ spirituales nec gustatæ transeunt, nec reficientes decrescunt, nec satiantes tædium gignunt. Super *Psalm.* XXIV, cap. 3.

HUGO CARD.

37. Tot fercula habebit homo in pœnis, quot habuit hic in deliciis. Sup. *Isaiam*, cap. 49.

S. JOANNES CHRYSOSTOM.

38. Nihil aliud est in deliciis præter fraudem et deceptionem; nam tum voluptas et gloria, tum ornatus et pompa, horumque similia, phantasmata quædam sunt, nullam virtutem rerum continentia. Homil. 45, super *Matth.*, *Oper. perfect.*

39. Deliciæ spinæ sunt; tu harum turbatione superatus, non sentis; sed qui procul inde absunt, non ignorant, quam vehementius omnibus stimulis pungant deliciæ, ac multo magis, quam ulla sollicitudine tabefaciunt animam. *Ibid.*,

40. Quemadmodum acuti vepres undecunque rapiunt atque constringunt, manus cruentant; eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt. *Ibid.*

41. Deliciis senectus citius surrepit, deliciis sensus obtunduntur, deliciis cogitatio retardatur, deliciis citius mens tenebris obducitur, deliciis denique corpus dissolvitur. *Ibid.*

42. Adeo perniciosa deliciarum lascivia est, ut etiam irrationalibus pestifera sit. *Ibid.*

43. Diabolo nemo magis amicus est, quam qui deliciis maculatur; hic fons, hæc mater, atque origo vitiorum omnium est. *Ibid.* Hom. 58.

44. Quid deliciarum hæc fœditas mali non inducit? suos ex hominibus facit, imo vero multo pejores. *Ibid.*

45. Quisquis totos agit dies in deliciis, sub diaboli tyrannidem redactus est. Conc. 1, *de Lazaro mendico.*

46. Nihil est certe, nihil est deliciis perniciosius; solent enim deliciæ ad numinis oblivionem adducere deliciosos. *Ibid.*

47. Qui in deliciis est, innumeras habet difficultates; etiamsi facile et quasi ex frontibus ipsi commoda affluant, attamen formidat mala, quæ ex deliciis veniunt, ac futuri incertitudinem. Hom. 16, sup. *Acta Apost.*

48. Quæ ex deliciis sint gravia, nullus ignorat duplex bellum est, corporis et animæ; duplex hyems, duplices morbi. Et non hoc solum, sed etiam quod insanabiles et magnas afferunt hæc calamitates. *Ibid.*

49. Tempus belli tempus certaminis est, tu autem sedes in deliciis. *Ibid.*, hom. 27, in Morali.

50. Nihil inutilius homine, qui omne tempus in deliciis consumit. *Ibid.*, homil. 35, in *Moral.*

51. In ipsis deliciis nihil ita fructu carens est, ut delicate agere. *Ibid.*

52. Deliciæ sunt non turpiter quid loqui, sed quod honestum ac grave sit; pro naturæ captu satiari, non disrumpi. Serm. 24, sup. *Ep. ad Rom.* in *Moral.*

53. Qui in deliciis est, nihilo melius se habet, quam qui in nullis est deliciis, imo pejus. Homil. 27, super I. *Cor.*

54. Ex deliciis risus intempestivus, verba immodesta et lena exitii proveniunt. *Ibid.*

55. Deliciarum finis, corporis est pinguedo, eructationes, crebri flatus, multum stercoris ac sordium, capitis gravamen, carnis mollities, febris et dissolutio. Serm. 12, super *Ep. ad Ephes.*

56. Alapis percussus est Christus, tantaque commodi tui gratia ad avertendam tempestatem, quæ te occupabat; passus est, et tu deliciaris? *Ibid.*, serm. 17, in *Morali.*

57. Qui in deliciis vivunt, brutis sunt pejores. Serm. 7, super *Epist. ad Phil.*, in *Morali.*

58. Revera sunt lacrymis digni, qui delicientur. *Ibid.*, serm. 13.

59. Post delicias noscitur cæcitas. Hom. 1, *ad Coloss.*

60. Deliciæ mortis auctores sunt et mortis æternæ. Homil. 13, super I. *Timoth.*

61. Quanto corpus pinguedine crassitudineque deliciis distenditur, tanto anima extenuatur magis atque imbecillior fit, et magis obruitur atque sepelitur. *Ibid.*

62. Deliciæ atque sobrietas nequaquam possunt in eodem habitare domicilio. *Ibid.*

63. Quemadmodum vasta ac perpetua nubium densitas radios solis nunquam sinit vim sui fulgoris ostendere: ita deliciarum evaporationes cerebrum non secius quam scopulum nactæ, illudque crassa nube tegentes, non permittunt libere usquam se intendere, verum in tenebris detinent eum, qui sic jacet miserabiliter affectus. *Ibid.*

64. Nihil vel loqui, vel audire convenienter potest deliciis obsessa anima; efficitur namque mollis, ignava, imbecillis, illiberalis, timida, interdum vero audaciæ, assentationis, imperitiæ plena, indignationis, iracundiæ, malorum omnium receptaculum, bonis, virtutibusque omnibus destituta. *Ibid.*



65. Nihil muliere deliciis dedita turpius. Hom. 54, *ad Popul. Antioch.*

66. Cum deliciis vacaturus es, considera voluptatis momentum, et damnum, ægritudines, infirmitates, et contemne delicias. *Ibid.*

67. Vis deliciari? animum pasce. *Ibid.*

68. Tempus est belli, tempus certaminis, tu vero sedes in deliciis? *Ibid.*

69. Deliciæ sunt absurdarum occasio cupiditatum. *Ibid.*

70. Parum est vitæ nostræ medium, quod cum sensu deliciis uti valeat. *Ibid.*, hom. 57.

71. Nihil diabolo tam gratum quam deliciæ. *Ibid.*, Hom. 71.

72. Bestia quædam difficilis et intractabilis delicæ sunt; neque scorpius aut vipera in visceribus nostris inhærescens, ita perpetuo nos vexaret, ut hæc deliciarum cupiditas, omnia evertit, omnia consumit. *De Provident.*, orat. 6.

73. Deliciæ hujus sæculi, meretrix turpissima atque obscœnissima est; cujus facies fœda, horrida, aspera, amara, crudelis, et deceptrix est. Homil. *Quod nemo læditur*, etc.

74. Majore nos in dies fœtore implemus, cum deliciis magis instamus. Hom. 13, sup. I *Tim.*, in *Morali.*

75. Ægritudines ex eo sunt, quod corpus deliciis multis mollius redditur. Hom. 29, sup. *Epist. ad Hebr.* in *Morali.*

76. Non tantam voluptatem habent deliciæ, quantas difficultates atque molestias. *Ibid.*

S. LACT. FIRM.

77. Temporalibus deliciis illaqueatus animus humanus, et corpori mancipatus, æterna morte damnatur. *De ira Dei*, cap. 25.

S. LAUR. JUST.

78. Nonne omne tempus vitæ hujus, quo deliciis frui videmur, quasi noctis unius somnus est ad æternitatis comparationem? *De ligno vitæ. De fide*, cap. 5.

PETR. BLES.

79. Hodie in deliciis nutritur, et tota ad carnis delicias se relaxat juventus nostra. Ep. 84, *ad Joan., archidiac.*

PHILO JUD.

80. Non potest anima cohabitans cum prudentia, et contubernium habens cum sapientia, frui deliciis corporis. Libro 2 *Legis Allegor.*

81. Non decet virtutis sectatorem vita delicata. *De Somniis.*

ROBERTUS BELLARM.

82. Moderata jucunditas, a Deo est; supervacaneæ deliciæ, a diabolo sunt. Super *Psalm.* CIII, vers. 17.

SALVIAN.

83. Mollities paucorum, labes est plurimorum. Lib. 7, *de Gubern. Dei.*

84. Omnis fructus divitiarum, in usu est positus deliciarum. Lib. 2, *ad Eccles. Cathol.*

THALASSIUS.

85. Immodicæ deliciæ rationem obruunt, et efficiunt ut in corpore, tanquam in aliquo sepulcro jaceat. Super I, *ad Tim.* cap. 5.

THEOPHYLACTUS.

86. Non oportet probum Christianum mollia gestare; quia qui deliciis servit, fit postea remissus. Super *Matth.*, cap. 11, in illud : *Quid existis videre? hominem*, etc.

THOMAS A KEMPIS.

87. Omnes deliciæ mundanæ aut vanæ sunt, aut turpes: spirituales vero deliciæ solæ jucundæ et honestæ, ex virtutibus progenitæ, et a Deo puris mentibus infusæ. Libro 2, *de Imit. Christi*, cap. 10, sect. 1.

IN VIT. PATR.

88. Delicias corporales non solum illas putetis, quibus homines seculi fruuntur, sed abstinenti deliciæ credendæ sunt. Libro 2, cap. 1, *de Vita Joannis.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO.

89. Qui deliciis indulget dissolutus et otiosus, summo erit ille apud homines odio. Syzygia 4, libro 10, *de Legibus*

PLINIUS II.

90. Nihil pigrius delicatis. Libro 9, ep. 32, *ad Titian.*

SENECA.

91. Nihil delicate, nihil molliter est faciendum. Ep. 51.

92. Male mihi esse malo, quam molliter : qui molliter vivit, malus est. Ep. 82.

93. Delicati timent mortem, cui vitam suam fecere similem. *Ibid.*

94. Simplici cura constant necessaria, in delicias laboratur. Epist. 90.

95. Magnam vitæ partem facit titillatio corporis. Ep. 92.

96. Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura descripsit, ut salvi essemus, non delicati. *Prosec.*

97. Ad salutem omnia parata sunt, et in promptu; deliciis vero omnia misere ac sollicite comparantur. Ep. 119.

SIXTUS PHILOSOPHUS.

98. Deliciarum finis, corruptio. Sent. 65.

99. In deliciis positus certum est, quod ignores illa quæ præparata sunt tibi a Deo. *Ibid.*, sent 109.

VALERIUS MAXIMUS.

100. Turpe est externis periculis, domesticas delicias emere. Libro 6 *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 19; *Divitiæ*, sentent. 66; *Gemma*, sent. 29; *Judicium extrem.*, sent. 66; *Luxuria*, sent. 104; *Natura*, sent. 43; *Nutrimentum*, sent. 26; *Ornatus*, sent. 69; *Olium*, sent. 72; *Passio Christi*, sent. 26; *Pastor*, sent. 70; *Pœnitentia*, sent. 195; *Religiosus*, sent. 110, 111, 112; *Relinquere*, sentent. 41; *Spectaculum*, sent. 28; *Virtus*, sent. 215.

## DERISIO.

S. ANTONIN. *Definitio.* Derisio est actus præcipue locutionis, quo quis intendit ad erubescentiam et confusionem alium inducere. Parte 2, tit. 6, *de Gula*, cap. 7.

CASSIODORUS. Derisus vox est confusa lætitiæ insultationem suam immoderata hilaritate denuntians. Super *Psalm.* XLIII, vers. 15.

HUGO CARD. *Divisio.* Tria sunt genera derisionum : fit derisio per verba ; fit derisio per nutus; fit derisio quando bonum improperatur, et vocatur ironia. Sup. *Psalm.* XXI.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUSTIN. 1. Christus irrisus est in Cruce, et ipsam crucem suam, in qua irrisus est, jam fixit in frontibus Regum. Super *Psalm.* LXXV.

2. Nihil superbius est ægroto, qui deridet medicamentum suum. Sup. *Psalm.* CXLI, vers. 4.

V. BEDA. 3. Volens retinere sanitatem, nullius irrideat infirmitatem. In suis *Proverb.*, verbo *Volens.*

S. BERNARD. 4. Joculatores improperantes digni sunt suspendio. *Prosec.*

5. Quid est joculator mala improperans? animal homicidum secum portans. In Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

CASSIODORUS. 6. Stultorum consuetudo talis est, ut illos magis irrideant, quos bonis moribus studere cognoscunt. Sup. *Psalm.* XXXVIII, vers. 12.

S. EPHRÆM. 7. Qui honestis occupatos laboribus irridet, diaboli ministrum se facit, scelestæque ejus voluntati obsequens, gaudium quod Dei servis præparatum est, deperdet. *De recta vivendi rat.*, cap. 17.

GLOSS. INT. 8 Qui pro culpa irridetur, non est exaudibilis. Sup. *Job*, cap. 12, in illud : *Qui deridetur ab amico*, etc.

GLOSS. ORD. 9. Gravissimum est illum, qui neminem læsit, esse aliorum ludibrium. *Ibid.*

10. Sanctus et verus minister Christi, etsi a malis ridetur, conculcari non potest, quia mente fixus in cœlo manet. Sup. *Matth.*, cap. 5, in illud : *Et conculcetur ab hominibus.*

S. GREG. MAG. 11. Cum derisio contra culpam nascitur, profecto nullum virtutis meritum in derisione generatur. Lib. 10. *Moral.*, cap 15.

12. Illum facit humana desiderio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum. *Ibid.*

13. Timendum est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui a nobis stantibus deridetur; quamvis stare jam non noverit, qui non stantem noverit irridere. *Ibid.*, lib. 25, cap, 8.

14. Lingua irrisoria mordaciter loquitur, amicis præsentibus blanditur, de absentibus alloquitur, et quasi de tali astutia lætatur. Lib. 4, in *Registro*, indict. 43, cap. 58, ep. 14, *ad Joan. episc. Ravennæ.*

S. HIERONYM. 15. Difficile evadit opprobria, cui est amica justitia. *Prosec.*

16. Si quis enim pie vivere voluerit, iniqui protinus irrisione blasphemant. In *Regula*, cap. 19, *de Laude et detract.*

HUGO CARD. 17. Vir sanctus etiam irrisus, a charitate non cessat. Super *Tobiam*, cap. 2, in illud : *Increpabat eos.*

S. JOANNES CHRYSOST. 18. Animæ fortis et constantis est, posse obluctari derisoribus. Hom. 23, sup. *Gen.*

S. JOAN. CLIM. 19. Magnorum est, pati suis esse ludibrio. Gradu 25.

JOAN. TRITH. 20. Derisio tanto gravius est peccatum, quanto major reverentia debebatur personæ, quæ illuditur. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, grad. 10.

21. Qui ad perfectionem tendere debet, ab omni irrisione se faciat alienum. *Ibid.*

S. NILUS ABB. MART. 22. In alterius infortunio ne rideas, ne a quibus non velis ridearis. *Parænes.* 136.

SALVIANUS. 23. Maxime a fidelibus viris non illi irrideri debent, qui se irrideri volunt. Libro 8, *de Gubern. Dei.*

S. ZENO EPISC. MART. 24. Non invidia, sed miseratione dignus est, qui illuditur. Serm. *de Livore.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 25. Irrisio injuria quædam est. Lib. 6 *Topic.*, cap. 3.

CICERO. 26. In rebus severis non est jocandi locus. Lib. 2, *de Divin.*

SENECA. 27. Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longe quærendus, me rideo. Ep. 50.

28. Aut ridenda omnia, aut flenda sunt. Lib. 2, *de Ira*, cap. 10.

29. Nondum es felix, si te turba non deriserit. *De Moribus.*

30. Nondum felix es, si nondum te turba deridet. In suis *Proverb.*

## DESERTIO DEI.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Nihil gravius quam errantem a Deo deseri, ut se revocare non possit. *Prosec.*

2. Quia, cum Deus deserit hominem, ingruit diabolus, ita ut præcipitetur homo et in graviora prolabatur. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 9.

S. ANTONIN. 3. Nullum deserit Deus, nisi ille prius deserat Deum. Part. 2, tit. 5, cap. 11, § 2.

S. AUGUSTIN. 4. Te nemo, Deus noster, amittit, nisi qui dimittit; et qui dimittit, quo it, aut quo fugit,



nisi a te placido ad te iratum? Lib. 4 *Confess.*, cap. 9.

5. Homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur; a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. Lib. 8, *de Genes. ad litt.*, cap. 12.

6. Anima, Deo deserente, moritur. Lib. 4, *de Trin.*, cap. 3.

7. Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse ; in quo enim est, procul dubio sine illo non est, et tamen si ejus non meminit, eumque non diligit, cum illo non est. *Ibid.*, lib. 14, cap. 12.

8. A nullo quolibet homine recedit Deus, nisi prius ipse homo ab eo recedat. *De salutar. docum.*, cap. 54.

9. Mors animæ fit, cum eam deserit Deus ; sicut corporis, cum id deserit anima; ergo utriusque rei, id est totius hominis mors est, cum anima, a Deo deserta, deserit corpus. Lib. 13, *de Civit. Dei*, cap. 2.

10. Tanto magis quisque deserit Christum, quanto magis diligit quod improbat Christus. *Ibid.*, lib. 21, cap. 27.

11. Tale bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit. *De Natura boni*, cap. 7.

12. Prævaricatorem legis lux deserit veritatis, qua desertus fit cæcus. *De Natura et gratia*, cap. 22.

13. Non est ullus ulli medius locus ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Lib. 1, *de Peccat. meritis et remissione*, cap. 28.

14. Penitus extra Deum est quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Sup. *Psalm.* VI, vers. 7.

15. Quanta miseria est longe esse ab eo, qui ubique est. Sup. *Psalm.* XCIX, in fine Præfat.

16. Non regionibus longe est quisque a Deo, sed affectibus. Amas Deum? prope es; odisti Deum? longe es; uno loco stans, et prope es, et longe es. Sup. *Psalm.* LXXXIV, vers. 10.

17. Christus tanquam homo a lapidibus fugit, sed væ illis a quorum lapideis cordibus Deus fugit. Tract. 43, sup. *Evang. Joan.*, de cap. 8, in illud : *Tulerunt lapides ut jacerent in eum.*

18. Sicut expirat corpus cum animam emittit, ita expirat anima cum Deum amittit. *Prosec.*

19. Deus amissus mors animæ est, anima emissa mors corporis ; mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria. *De Verbis Dom.*, serm. 6.

20. Qui conversum liberat, punit aversum *Ibid.*, serm. 54.

21. Deus in nullo actu animam deserit sive pœna, sive præmio. *De Quant. animæ*, cap. 36.

22. Non deserta est anima a Deo, ut desereret illum; sed ut desereretur, deseruit. Lib. 13, *de Civit. Dei*, cap. 15.

23. Non deseritur amor, si ipse non deserat. Lib. 4, *Confess.*, cap. 11.

24. Fluctuabam et gubernabas me; ibam per viam seculi latam, nec deserebas me. *Ib.*, l. 6, c. 5.

25. In eodem opere malo, diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit. Lib. 23, *contra Faustum*, cap. 9.

26. Si deseris eum qui te fecit, et amas illa quæ fecit, deserto illo qui te fecit, adulter es. Hom. 38, *ex Homil. quinq.*, cap. 5.

27. Non nos deserit fons, si non deseramus fontem, Tract. 32, sup. *Joan.*

28. Cum times Deum, ne deserat te præsentia ejus, amplecteris eum. Tract. 9, sup. *Ep. Joan.*

29. Deus non deserit, si non deseratur. *De natura et gratia*, cap. 26.

S. BASILIUS MAGNUS. 30. Acerbissimus cruciatus apud eos, qui mente præditi sunt, est a Deo sejungi. Apud D. Joan. Damasc., lib. 1, *Parall.*, cap. 12.

S. BERNARD. 31. Mentem quam divinum auxilium deserit, quæcunque tentatio impetierit, subvertit. Serm. 2, sup. *Salve Regina.*

32. Mens, quæ ignorat abscessum Spiritus sancti patet seductioni. Serm. 17, sup. *Cant.*

33. It enim et redit Spiritus ille, et qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est. *Ibid.*

34. Anima a Deo derelicta, reverti plerumque cupit, et non potest; tanta est in reditu difficultas. Serm. 84, sup. *Cant.*

35. Si Christum elongari contigerit, erit pigritanti animæ et laboriosior et periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia longius abeuntis. Ep. 341, *ad monachos S. Bertini.*

36. Deus fidelis socius est, nec deserit sperantes in se, nisi ipse prior deseratur. Lib. *Medit.*, cap. 7.

S. BONAVENT. 37. Sicut separatio a fonte vitæ, mors est et damnatio æterna; sic conjunctio cum illo est vita æterna. Sup. *Luc.*, cap. 18, in illud : *In sæculo futuro vitam æternam.*

38. Tanto est homo a Deo longius, quanto in vitiis profundius. Serm. 3, *Dom.* 2, *Quadrag.*

39. Hi toties Christum vendunt, qui quoties ipsum pro aliquo temporali relinquunt. Serm. 4, *Dom.* 5, *post Pent.*

40. Si amarum malum est reliquisse amicum, vel oculum, in infinitum amarius et confusibilius est? relinquere Deum. Serm. 1, *Dom.* 12, *post Pent.*

41. Tantum bonum est Deus, ut nulli bene sit, qui ab eo recedit. In *Centiloq.*, part, 1, sect. 33.

42. Amator mundi hujus, quanto amplius Dei

obliviscitur, tanto plus a Deo derelinquitur. In *Collat., de Contemptu sæculi.*

CASSIODORUS. 43. Tantum unusquisque a divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur. *Prosec.*

44. Quantitas enim delicti, mensura repudii est; dum tantum a Deo reus longior redditur, quantum numeroso crimine dilatatur. Super *Psalm.* v, vers. 15.

45. Sicut beati redduntur, ad quos propitius respicit Deus; ita infelices sunt, a quibus avertitur. Sup. *Psalm.* x.

46. Ille auctor justitiæ non potest illos derelinquere, qui ejus eligunt præcepta complere. Sup. *Psalm.* xxxvi, vers. 29 : *Non derelinquet sanctos suos.*

47. Necesse est homini dolor et tribulatio subsequatur, qui auctorem salutis reliquisse noscitur. Sup. *Psalm.* cvi, vers. 39.

48. Famulos suos virtus divina non deserit. Sup. *Psalm.* cxviii, vers. *Memor fui*, etc.

49. Dominus derelinquet illos, qui spem suam aut in propriis viribus, aut in alicujus hominis præsumptione posuerunt. Super *Psalm.* xxxiii, vers ult.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 50. Ab anima peccatrice Deus majori spatio elongatur, quam id quo cœlum a terra distat, et oriens ab occasu. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi.*

DIDYMUS ALEX. 51. Quisquis extra rectam fidem conversationemque mandatorum Jesu fuerit, sine Deo est. Sup. *Ep.* II *Joan.*, cap. 1.

S. EPHRÆM. 52. Initium desertionis hominis, est recessus ab humilitate; qui autem a Deo deseritur, ab improbo spiritu præfocabitur. *De Recta vivendi ratione*, cap. 4.

S. EUSEBIUS. EMISS. 53. Nemo æstimet se a Deo deseri, cum traditur tentationi. Hom. in *Litaniis.*

S. FULGENT. 54. Juste deseritur a Deo, qui deserit Deum; et quia homo deserens Deum, peccat; deserens peccatorem Deus, justitiam servat. Libr. 1, *ad Monimum*, cap. 13.

GLOSS. INT. 55. Magnum est malum, a luce veritatis deseri. Sup. *Psalm.* ix.

56. Quem vident homines calamitatibus fatigatum, putant a Deo desertum. Sup. *Psalm.* lxx, in illud : *Deus dereliquit eum.*

GLOSS. ORD. 57. Nulla major dementia, quam Deum vivum deserere, et mortuis deservire. Sup. *Sapient.*, cap. 14.

S. GREG. MAG. 58. Cum ab auctore relinquimur, nec ipsa ullatenus destitutionis nostræ damna sentimus. *Prosec.*

59. Quo enim longe nos Conditor deserit, eo mens nostra insensibilius obdurescit, nulla quæ Dei sunt, diligit, nequaquam superna concupiscit, quantum lugenda sit, nescit. Lib. 9, *Moral.*, cap. 42, sup. illud Job, 10 : *Reversusque mirabiliter me crucias.*

60. Quem Deus liberare noluit, deserendo percussit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 12, sup. illud Job. 34 : *Novit enim opera eorum.*

61. Nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 3.

62. Accessus recessusque Dei a mente nostra minime cognoscitur, quousque rerum alternantium finis ignoratur; quia et de tentatione incertum est, utrum probet, aut trucidet. *Prosec.*

63. Et de donis nequaquam deprehenditur, utrum hic desertos remunerent; an in via nutriant, ut ad patriam perducant. *Ibid.*, lib. 9, cap. 7.

64. Qui judicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne cavendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 5.

65. Nihil sumus si a Conditoris nostri protectione deseramur; quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur, sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo, quam sine illa nihil sit, ostendatur. *Pros.*

66. Manus Dei aliquando nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. *Ibid.*, lib. 23, cap. 19.

67. Unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiens deserit. *Ibid.*

68. Sicut nemo obsistit largitati Dei vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. *Pros.*

69. Includere Dei, est clausis non aperire; recludit itaque hominem Deus, quem in suorum operum tenebris relinquit. *Ibid.*, lib. 11, cap. 5.

70. Tendentem ad justitiam nequaquam in tentatione Conditor deserit; quia per infusionem gratiæ etiam operantem prævenit. *Ibid.*, lib. 9, cap. 29.

71. Quis valet Deo recedente requiescere, cum solus ipse sit requies, a quo quisque quanto longe fuerit, fit tanto inquietus? *Ibid.*, lib. 13, cap. 3.

72. Si quosdam Deus peccantes deserit, eisdem tamen ipsis adest per judicium, quibus deesse cernitur per adjumentum. *Ibid.*, lib. 16, cap. 3, sup. illud *Job* 22 : *An cogitas, quia Deus excelsior?* etc.

73. Fortem me inter virtutes credidi, sed quantæ infirmitatis sim, derelictus agnovi. Part. 4 *Pastor.*, cap. 5.

74. Tanto majores redemptori gratias referunt justi, quanto vident in aliis, quod ipsi perpeti (si essent relicti) potuerunt. Hom. 40, sup. *Evang.*



75. Magna vindicta est, quæ ex districtione procedit interni examinis, quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 1, sup. illud : *Non abjecerunt te, sed me.*

76. Qui a Deo avertitur et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus. Hom. 12, sup. *Ezech.*, sup. illud *Proverb.* 1 : *Aversio parvulorum interficiet eos.*

77. Deus electos suos per spiritualem præsentiam nunquam deserit, cum stantibus permanet cum abeuntibus recedit. Lib. 1, in I *Reg.*, cap. 1.

HUGO CARD. 78. Neminem dimittit Deus, nisi prius dimissus. Sup. *Hierem.*, cap. 3.

79. Suos ad tempus Dominus relinquit, ut probet qui sint ejus, et ut postea gratior sit consolatio. Sup. *Job*, cap. 30.

S. INNOC. III. 80. Deus dupliciter hominem derelinquit, et discedit ab illo; quando subtrahit ei defensionem, deserendo illum ad pœnam; et quando subtrahit ei gratiam, deserens illum in culpa. Sup. *Psalm.* xxxvii, vers. : *Ne discesseris a me*, etc.

81. Sic Deus illum aliquando derelinquit, a quo ipse minime derelinquitur; nam relictus Job ad pœnam, innocentiam non reliquit; sic Dominus illos solummodo deserit, qui deserunt ipsum. *Ibid.*

82. Quosdam derelinquit Deus ad tempus, aliquos derelinquit in perpetuum. *Ibid.*

JOAN CASS. 83. Recedere a Deo, perniciosum et præsens exitium est. *Collat.* 23 *abbat. Theonæ.*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 84. A Deo derelinquuntur, qui per iniquitatem illum prius dereliquerunt. Serm. 4, sup. *Ep. ad Rom.*

S. JOANNES DAMASC. 85. Nihil exitiosius est quam a Deo deseri; ut nulla nostri cura et providentia tangatur. *Prosec.*

86. Nec ullum ob gravissima crimina gravius supplicium irrogari potest, quam ut quispiam a Deo deseratur et orbetur.

87. Qui enim servatoris Dei ope ac præsidio caret, hic sub hostium ac prædonum potestate est. Libro 1 *Parall.*, cap. 12.

S. ISID. HISP. 88. Deserente Deo, nullum pœnitere perspicuum est. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 15, sent. 1.

89. Qui Dei secreto et justo judicia deseritur homo, perdendus in potestate dæmonum relinquitur. *Prosec.*

90. Nam revera quem Deus deserit, dæmones suscipiunt. *Ibid.*, sent. 3.

91. Plerumque utile est arrogantibus deseri a Deo, quatenus suæ infirmitatis conscii, ad humilitatem redeant, et humiles post casum existant. *Ibid.*, lib. 3, cap. 23, sent. 14.

LACT. FIRM. 92. Qui Deum deserit, dignus est ut sit exhæres, et ejus nomen de familia Christi in perpetuum deleatur. Lib. 5, *de Divin. inst.*, cap. 19.

S. LAURENT JUSTIN. 93. Nemo a Deo deseritur, nisi ipse se prius deserat. *De triumphali Christi agone*, cap. 6.

S. NILUS ABB. MART. 94. Magnum quid videtur homo, cum Dei adest auxilium; a quo derelictus, naturæ suæ agnoscit imbecillitatem. Orat. 8, *de Superbia.*

PETR. CELL. 95. Nihil in possessione Dei felicius, et Deo similius; nihil in amissione miserius, et Deo dissimilius. Lib. 6, *ep. ult.*

PHILO JUD. 96. Qui emittitur, redire non vetatur; quem autem Deus expellit, is æterno damnatur exilio. Lib. *de Cherubin.*

97. Maxima calamitas, a Deo deseri. *De confus. linguar.*

S. THEODORET. 98. Postquam divina providentia quis est privatus, facile patet inimicorum insultibus. Super III *Reg.*, quæst. 35.

THOMAS A KEMPIS. 99. Unde ostendis me mihi, quid sum, quid fui, et quo deveni; quia nihil sum et nescivi; si mihi ipse relinquor, ecce nihil et tota infirmitas, si autem subito me respexeris, statim fortis efficior et novo repleor gaudio. Lib. 3, *de Imit. Christi*, cap. 8. sect. 1.

100. Qui confidit in Domino, non deseretur ab eo, in quacunque tribulatione fuerit. In *Hortulo Rosar.*, cap. 11,

IN VITIS PATR. 101. Nullum æque grave et acerbum est supplicium, ac a Deo abalienari, et a dulcissima ipsius facie abjici. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat.*, cap. 8.

Nide etiam tit. *Felicitas*, sent. 82, 84; *Flagellum Dei*, sent. 54, 141; *Gratia Dei*, sent. 172; *Luctus*, sent. 8; *Præsentia Dei*, sent. 44; *Superbia*, sent. 59, 174.

## DESIDERIUM.

S. AUGUSTIN. *Definitio.* Desiderium quid est, nisi rerum absentium concupiscentia; Super *Psalm.* cxviii, conc. 8, super illud : *Concupivit anima mea desiderare*, etc.

DIONYSIUS CARTHUS. Desiderium est appetitus boni futuri nondum adepti. Sup. I, *B. Petri*, cap. 1, art. 2.

S. BONAVENT. *Comparatio.* Sicut ex otio desidia gignitur, ita ex actione desiderium generatur. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 24.

Sicut pluvia in terram descendens elevat semina, sic tribulato animam intrans erigit desiderium. *Ibid.*, cap. 47.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Non testimoniis sua vota solatur qui quod optat, nescit credere. *De Joseph*, cap. 4.

2. Quidquid est desiderabile, si non contingat